IV. 0. 120
32161/A

MARTINI LANGE

MEDICINÆ DOCTORIS,

COMITATUS HAROMSZEKIENSIS IN TRANSILVANIA

PHYSICI, ACADEMIÆ NAT. CUR. MEMBRI.

RUDIMENTA

DOCTRINAE

DE

PESTE

QUIBUS ADDITAE SUNT

OBSERVATIONES PESTIS TRANSILVANICAE

ANNI 1786.

Editio altera priori auctior et emendatior.

OFFENBACH

EX OFFICINA U. WEISS ET C. L. BREDE.

1791.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EXCELLENTISSIMO

ac

ILLUSTRISSIMO DOMINO

SAMUELI LIBERO BARONI

DE

BRUCKENTHAL,

SAC. CÆS. REG. ET APOST. MAJ.

Actuali Intimo Status

CONSILIARIO

INSIG. ORD. S. STEPH. REG. APOST.

COMENDATORI

Per Magnum Principatum Transilvaniæ Partesque

Eidem Reaplicat.

GUBERNATORI REGIO,

et

EXCELSI REGII GUBERNII

PRAESIDI &c.

DE

CAESARE, PATRIA,

et

ARTE SALUTIFERA

OPTIME MERITO

HUNCCE LIBELLUM

SEQUE SIMUL TOTUM

in

TESSERAM PIETATIS ET VENERATIONIS

D. D. D.

humillimus

AUCTOR.

PRÆFATIO.

En, Lector Benevole, rudimenta doctrinæ de peſte methodo ſyſtematica adornata, manca quidem adhuc, omnia tamen primis lineis continentia, quæ de peſtilentia, omiſſis multis fabuloſis præteritis temporibus laudata, jure notari merentur, et ad noſtra usque tempora ab optimis in arte medica viris annotata ſunt.

Occaſionem earum lucubrandarum mihi dedit patria, ſitusque patriæ cum affinibus terris turcicis vicinus, in quibus endemiam eſſe peſtem conſtat, adeoque inde per commercia facile in noſtras terras transportari poteſt dira hæc lues: quamvis

aula noſtra benigniſſima per adornatas continuas excubias ſecundum lineas et quarantænam ei a finibus noſtris avertendæ ſtudeat. Etenim hoc ſolo ſeculo quoties in Tranſylvania dira hæc lues, maxima certo vitæ humanæ inimica, graſſata eſt! Annotata legitur anno 1708, 1718, 1738, 1756, 1770, quæ vero ultima in primis incunabulis ob optimas ſeparationes locorum peſtilentialium ſat cito extincta eſt. Prima hujus ſeculi peſtis anni nempe 1708 occaſionem dedit medico Tranſylvano Kœleſeri libellum conſcribere ſub titulo: *Peſtis dacicæ ſcrutinium* 1709. Hiſtoriam peſtis 1718, in qua 18088 homines Coronæ una cum diſtrictu Barcenſi mortui ſunt, quondam apud nos Cel. Phyſicus Academiæque naturæ curioſor. Socius *Albrich*, conſcripſit, et in manuſcripto reliquit, ex quo quædam notatu digna diagnoſin morbi ſpectantia excerpſi, et ſparſim in hoc meo libello produxi. Epidemiam anni 1756 deſcripſit Cel. noſter *Chenot* elegantiſſimus de peſte ſcriptor.

Cum mihi itaque ex academiis reduci vivendum eſſet in loco, ubi continuus peſtis metus eſt; neceſſarium eſſe duxi, veram mihi de peſte cognitionem, ſaltem theoreticam, acquirere. Pervolvi igitur horis a praxi vacuis optimos de peſte ſcriptores, quæque mihi notatu digniora videbantur, his pagellis ordine accuratim collegi, peſtem in veras ſuas diſtinctas ſpecies diviſi, quæque vera de remediis adverſus peſtem dici poſſunt, conſcripſi.

Huncce in proprium uſum primo conſcriptum libellum Tibi nunc ſiſto, Lector Benevole, ſperans etiam aliis quidquam emolumenti ad acquirendam de peſte accuratiorem cognitionem præſtiturum eſſe, uti et ad ulterius enucleandam peſtis doctrinam, præſertim naturæ miasmatis peſtilentialis, ſpecificique contra eam remedii, reſpondentis notioni ejusdem naturæ veræ; quæ, ut aperte fatear, hucusque ignota medicis manſit, cauſſamque

conſtituit, quare a peſte correptorum tam pauci evadant.

Gratulor mihi multum, ſi quidquam utilitatis redundari ex hoc meo licello poſſit, lectorumque deſiderio aliquatenus ſatisfecero. Dabam in Tranſilvania, 1783. die 22. Octobris.

PRÆFATIO

ad Editionem alteram.

Peſtis menſe Septembri 1786 in aliquot Tranſilvaniæ locis finitimis exorta, nempe Roſonii, Zeydæ, in territorio Törzburg, et in pago Holbach, ſpartam mihi conciliavit, non tantum peſtiferos videre, ſed etiam varia loimographorum obſervata novis inſtitutis ponderare experimentis. Summam eorum novæ hujus libelli editioni addidi, limavique in eo, quæ mihi limanda eſſe putavi.

Experientia ſuffultus in hac peſte didici, contagium peſtilentiale non meram

esse fabulam, quidquid contradicant aliqui auctores: didici vero etiam non tam crasse ac aliqui volunt, contagium statuendum esse. Profecto possem, si mihi animus esset, genuinam tabulam proferre, quomodo malum ex uno homine ad omnes fere transmigraverit homines. Generalia quædam de ortu hujus pestis jam dixi pridem in opere vere philosophico amici mei doctissimi, cujus titulus est: Ferro nähere Untersuchung der Pestansteckung nebst zwey Aufsätzen von der Glaubwürdigkeit der meisten Pestberichte aus der Moldau u. Walachey, und der Schädlichkeit der bisherigen Contumazen, von D. Lange, u. Fronius, Wien 1787. Specialiora historiam hujus pestis concernentia hinc illinc in his plagulis narravi, et magis evoluta in posterum forte in singulari libello narrabo.

In omnibus peste affecti sunt in hac epidemia 124 homines, inde convaluere 41, mortui sunt 83.

In oppido Rosenau et territorio Törzburg pestiferi erant 84; viginti quatuor cum infectis in iisdem domibus ante separationem habitantes peste immunes mansere. Ex illis 84 sanati sunt 24, mortui 60.

In pago Holbach ægri fuere 21, sanati sunt 7, mortui 14, peste immunes manserunt 6.

Zeydæ erant ægri 19, inde sanati sunt 10, mortui 9, et 3 a peste non tacti.

Zeydæ in proportione ad alios locos plurimi convaluere: hic enim plurimi ægrotorum erant Germani, et hi minus rem domi angustam habent, et plus munditiei studeant ac Walachi, qui in reliquis locis peste laboravere.

Specialior horum ægrorum tabella sequens dari potest:

1, ex oppido Roſenau et territorio Törzburg:

Hic ægrotavere homines, primum ad decimum usque ætatis annum agentes, 20; 10mum - 20mum, 22; 20mnm - 30mum, 10; 30mum - 40mum, 7; 40mum - 50mum, 9; 50mum - 60mum, 12, 60mum - 70mum, 2; 70mum - 80mum, 3; octogenarius unus.

Ex his male valuere a ſexu potiori 34 a ſeqviori 50: hujus erant puellæ 28, feminæ 22; illius pueri 15, viri 18.

Mortui ſunt 60; inde 15 cum febri peſtilentiali, 33 cum bubonibus, 5 cum carbunculis, et 5 cum carbunculis atque bubonibus, vel etiam petechiis, 2 cum petechiis.

Convaluere 2 cum febri peſtilentiali, 13 cum bubonibus, 1 cum carbunculo, 8

cum carbunculis et bubonibus: absque inſpectione legali ſunt ſepulti quinque.

Præter priores octo ſepultos, quorum initium morbi non patet, mortui ſunt prima morbi die 6, altera 16, tertia 11, quarta 9, quinta 6, ſexta 6, ſeptima 2.

Cum ſolis bubonibus exſpiravere altera morbi die 12, tertia 7, quarta 3, quinta 3, ſexta 2, ſeptima 2. Cum bubonibus et carbunculis altera, tertia, et quarta die unus, quarta tres. Cum febre peſtilentiali prima die quatuor, altera 4, tertia 1, quarta 2, quinta 2. Cum petechiis periit unus altera, et alius quinta morbi die.

2., Ex oppido Zeyda.

In eo ægrotavere 19 homines, quorum 13 erant Saxones, et 6 Walachi: inde mortui ſunt 9, convaluere 10. Nem-

pe mortui ſunt 5 Saxones et 4 Walachi; ſanati duo Walachi et 8 Saxones.

Peſte afflicti ſunt præterea homines, primum ad decimum usque ætatis ſuæ annum agentes, tres; 1omum 20mum ſex, 30mum 40mum, duo; 40mum 50mum, duo; 50mum 60mum duo; 60mum, 70mum, unus. Ex his erant ſexus potioris duodecim, ſequioris vero ſeptem; nempe pueri 5, viri 7, puella una, feminæ 6.

Eorum mortui ſunt 5 cum bubonibus, 1 cum febre peſtilentiali, 2 cum vibicibus: ſanati vero 5 cum bubonibus, unus cum carbunculo, et alius cum bubonibus et carbunculis. Primus æger viſitatus non eſt.

Mortui ſunt Zeydæ prima morbi die tres, ſecunda tres, tertia, quinta, et ſexta unus homo. Eorum periere rurſus cum bubonibus unus primo, ſecundo, tertio et quinto morbi die; unicus cum febri pe-

ſtilentiali altera die; cum bubonibus et vibicibus altera die pariter unus; et duo cum vibicibus ſolis ſecundo die.

3., Ex 21 ægris in pago Holbach erant 12 ſexus potioris, 9 ſequioris: inde pueri 5, viri 7, puellæ 5, feminæ 4. Sanati ſunt 7, mortui 14: bubonibus laborarunt 15, febre peſtilentiali 3, carbunculo 1, bubonibus et petechiis 1.

Primum ad 10mum usque ætatis annum agentes ægrotavere 5; 10mum - 20mum, 5; 20mum - 30mum, tres; 30mum - 40mum, duo; 40mum - 50mum, unus; 50mum - 60mum, duo: 60mum - 70mum, tres.

Morti erepti ſunt 2 viri, 3 pueri, 2 mulieres: fato ſuccubuere puellæ 5, feminæ 2, viri 5, pueri 2.

Ex his quoque mortui ſunt 9 bubonibus, unus carbunculo, febri peſtilentiali

2. Sanati ſunt cum bubonibus ſeptem; duo viſitati non ſunt.

Veſpilonum in omnibus locis infectis ſunt mortui ſeptem.

Ex præmiſſa hac tabula patet, numerum mortuorum non ita magnum in relatione ad ſanatos fuiſſe, ac in multis aliis epidemiis, multosque convaluiſſe; neſcio, an ope medicamentorum, vel ex benignitate peſtis, beneficioque naturæ ſolius. Quidquid tamen a medicamentis bonoque vitæ regimine exſpectari poterit in diro hocce morbo, experti nunc ſæpius ſumus. Varia quidem medicamenta ægris ſunt porrecta, cortex vero peruvianus, ſpiritus vitrioli, et camphora vel ſerpentaria, et acetum, optimam tuliſſe opem nobis viſum eſt. Talis mixtura ex cortice peruviano dabatur 47 ægris variis peſtilentialibus ſymptomatibus laborantibus: convaluere inde 26, mortui ſunt 21.

Nec minorem ſpem pollicetur belladonna in peſte in iisdem caſibus, ac cortex peruvianus, præſcripta. Magnus et celer ejusdem uſus in hydrophobia ex morſu canis rabidi, inque morbo ex læſione viperarum in me excitavit ideam, an non quoque valeret belladonna in peſte, et annon eodem ſucceſſu ex corpore miaſma peſtilentiale, ut in his recenſitis morbis illud ejicere poſſet. Hinc ſuaſi, ut idem medicamentum peſtiferis, a chirurgis expoſitis adhiberetur; tamque felix fuit ejus ſucceſſus, ut omnes quinque ægri, quibus datus erat pulvis herbæ belladonnæ bis de die ad grana duo cum ſaccharo albo, quorum tres bubones ſolos habuere, duo vero bubones et carbunculos, priſtinæ ſanitati reſtituerentur. Binis ultimis tamen poſt eruptionem carbunculorum addebatur bis de die ʒß pulveris peruv. cort. In omnibus promovit hoc remedium ſat citu ſudores criticos, bubonumque eruptiones, malumque ad exteriores partes propulit.

a) Plura experimenta cum belladonna inſtitui non potuerunt, quia epidemia peſtilentialis ad finem vergebat. Reiteranda igitur cum belladonna in poſterum experimenta erunt. Dabam Coronæ in Tranſilvania, 1789 die 6. Octobr.

---

a) Teſtis harum obſervationum fuit Tranſilvanorum Protomedicus Cel. Neuſtædter, cui a Gubernio Regio in hac peſte rei medicæ primaria directio erat demandata.

Sectio prima, Theoria Peſtis.

Cap. I.

De Notione Peſtis.

§. 1.

Quis et qualis morbus Peſtis ſit, non eadem apud ſingulos auctores explicatio invenitur. Vi vocis enim ſignificat peſtis morbus popularis pernicioſus; hinc apud varios auctores varii morbi peſtis nomine inſigniuntur, a) ſi modo quidam morbus ſolito fuerit lethalior. Quum tamen ille morbus, quem nunc deſcribere aggredior, omnium ſit fueritque, ab orbis ortu ſumme pernicioſus et popularis, a plurimis igitur ille tam

a) recte ideo determinari non poteſt, quo tempore prima vera exorta peſtis fuerit.

antiquis quam recentioribus ſcriptoribus Peſtis titulo eſt donatus. Eſt mihi vero peſtis *febris ſui generis ſumme pernicioſa contagioſa epidemica, ex miasmate ſpecifico peſtilentiali nempe oriunda, bubonibus et carbunculis, non nunquam etiam petechis vibicibusque, ſtipata.*

§. 2.

Enucleatio characterum, peſtis notionem ingredientium.

Omnem prorſus peſtem cum *febre* occurrere contendo. Symptomata ejus eſſentialia ex capite de diagnoſi abunde id evincunt. Naturæ conamen eſſe dicitur omnis febris, quo impura a puris ſeparet et per conſueta colatoria morboſum ex corpore humano educat, id quod in peſte contingit vel expulſione plenaria per ſudores, vel depoſitione per bubones et carbunculos, ut plurimum utrisque, b) nihilominus ſæpe fere omnes peſte correpti extinguuntur: ſuperat enim ferocia mali tam naturæ, quam medicamentorum vires et mortem ita popularem inducit.

Diverſa, major, minor eſt febris, pro diverſa miasmatis peſtilentialis volatilitate, tenaci-

b) Hanc ob rationem peſtis inter exanthematicas febres claſſificatur.

tate, copia, benegnitate & malignitate, diſpoſitione ac ſtatu corporis, aëre, epidemiis, nec non complicatione cum aliis morbis. Multifaria hinc etiam febris eſt. Si enim miasma peſtilentiale migret in corpus forte plethoricum, febris peſtis erit inflammatoria; ſi in corpus cum ſanguine diſſoluto, erit putrida; ſi in debile, aquoſum, irritabile, pallidum, molle, erit nervoſa; ſi in corpus bile turgens, bilioſa. Complicata erit febris, ſi harum febrium ſpecies aliquæ conjungantur. Complicatio frequentiſſima ex iis eſt peſtis putrida, nervoſa; rarior bilioſa, rariſſimaque inflammatoria. Hyeme ſæpius eſt peſtis inflammatoria; æſtatate putrida; aſt autumno bilioſa. Hyeme enim miaſma peſtilentiale mitius, ſanguis denſior, fibræ corporis ſtrictiores, æſtate vero volatilius, acrius, malignius, et humores a calore in putredinem plus vergentes.

Duplex vero in peſte occurrit febris. Prior ortum ducit a ſtimulo et fermento miaſmatis peſtilentialis, et finitur ſudore ſolo, vel ſimul eruptione bubonum ac carbunculorum, aut, ſi malum fortius urgeat, morte; altera febris eſt effectus prioris febris, inflammationis ac ſuppurationis bubonum ac carbunculorum, nec non reſiduæ quantitatis virus peſtilentialis, quæ vel ſo-

summodo in sanguine lueret, vel simul etiam inflammationes topicas, ut: capitis, faucium, pulmonum, ventriculi &c. causat. Succedit nonnunquam etiam pesti tertia febris, vera febris lenta.

Cæterum quoad typum febris pestilentialis, est continua, continens, aut (idque ut plurimum) remittens, quotidiana vel tertiana, rarissime typum intermittentis servat. a) Dolendum tamen est, qnod in morbo tam præcipiti tantisque symptomatibus malis stipato semper febris ordo vix penitus observari possit.

§. 3.

Pestem esse summum gradum febrium omnium malignarum, determinant duratio minor

a) *Chenot* tractatus de peste p. 59. *Mertens* observ. med. de febribus putridis, peste, nonnullisque aliis morbis p. 102. *Mackenzie* in Philosoph. transact. T. 54. p. 74. ubi contendit, sub initio morbi symptomata similia iis esse, quæ paroxismum febris tertianæ commitari solent, in progressu morbi vero semper versus vesperam exacerbari. Historiam pestiferæ puellæ, apud quam febris remittens cum quotidiana intermittenti juncta erat *Chicoinau*, et pestis sub larva febris 3. *tianæ* duplicatæ accedentis, mentionem facit auctor epistolæ apud *Ringelbroig* von der Pest T. I. p. 282.

morbi, ut in aliis febribus malignis, vehementia major, lethalitas maxima et contagium subtiliſſimum; quæ mala ſymptomata in nulla alia febre citius, frequentius ac violentius, ut in peſte, occurrunt. Tanta ſæpius mali ferocia exiſtit, ut inter tres, quatuor dies, plurimos enecet; immo in peſte, quæ 1718. in Tranſylvania urbem Coronenſem cum ſuo diſtrictu caſtigavit, intra viginti quatuor horas ab invaſione morbi enecatos fuiſſe ægros refert Cl. *Albrich* a) in peſte Noviomagenſi *Diemerbræck;* in Lipſienſi, *Rivinus*; in Coronenſi anni 1756. *Chenot*; in Moscovitica 1771. cel. *Mertens;* quid dicam in epidemia Tranſylvanica 1786. in pago Holbach veſpillo ſanus ex urbe illuc miſſus poſt meridiem intravit cum ſocio in domum infectam ad æſtimandas et enumerandas mortuorum reliquias, altero jam mane ægrotare incepit ipſe, ac poſt 12. horas vera obiit peſte, ſocius ſuus tertia tantum die matutina male ſe habuit, et pariter ad veſperas usque periit. Peſtium altera die terminatorum plures autores mentionem faciunt. Citius ſæpe moriuntur homines, quam medica-

a) Albrich in manuſcripto. Diemerbræck de peſte Noviomagenſi 1637. p. 30. Rivinus de peſte Lipſienſi 1680. p. 13. Chenot l. c. p. 101.

menta vim aliquam exercere poſſunt. Vix unum in furore peſtis moscoviticæ ex viginti quinque peſte correptis ſanatum eſſe, annotavit Cel. *Mertens* et ſuo tempore *Sydenhamus b*)

§. 4.

An contagio propagetur peſtis, nec ne, Studium eſt, a cujus cognitione vera ſalus vel interitus totarum regionum pendet. Idcirco a longo jam tempore in utramquæ partem a doctis viris diſputatum eſt, ita ut aliqui omne contagium negarent c); alii contra firmiter idem defenderent; diverſos tamen modos contagii proponerent. Poſt multa circa hanc rem arduam inſtituta obſervata evidenter nunc patet: exiſtere in peſte verum contagium in alios transferendum per hominem peſte correptum, per ſanum miasma peſtiferum exhalantem, vel fomitem, cui ſub tenuiſſimi halitus ſpecie adhæret. In partiali tantum atmoſphæra horum corporum continetur contagium, et inde ſub tenuiſſimi halitus ſpecie per vaſa cutis reſorbentia, nares, ſalivam, cibos, inſpirationem corpora humana intrat, et in dispoſitis peſtem

b) Sydenham opera omnia T. 1. Mertens l. c. p. 109.

c) contagium peſtis negant Chicoinau, Deidier, Verney, Pye, Ingram et Stolle in rat. med: T. 2.

producit. Per liberam minime propagatur: nam si in atmosphæra uniuersali hæreret morbi causa, omnes ejusdem regionis, saltem loci incolæ cujuscunque conditionis indiscriminatim peste affici deberent; quod in plurimis morbis epidemicis accidere notum est; sed hoc non contingit: ita omnes in eadem regione vel urbe viuentes, si ab communicatione qualicunque cum pestiferis personis vel rebus abstineant, a peste immunes remanent: quod remedium prophylacticum, præter bonum viuendi genus et fugam in pagos nostris adhuc diebus peregrinis christianis, in urbibus turcicis habitantibus, peste furente unicum esse solet.

Quæsitum porro est: *quis ille fomes aptus sit* recipiendo et propagando miasmate pestilentiali? Non me errare credo, si contendam, adesse tantum res porosas et molles, ut vestes, lanam, telas lineas, præsertim saponem expertas, gossypium, cannabim, chartam, animalium plumas, pilos et pelles; quæ res rursus pro sua qualitate externa plus minusve evadunt contagiosæ. Ita gossypium, pelles, sericum, lana, panni intimius recipiunt ac arctius fouent miasma, quam cannabis, linum, tela linea, corium, papyrus. Horum vis contagiosa acuitur, si calefiant; calore enim miasma pestilentiale volatilius fit. Ideo res nominatæ facilius inficiunt hominem corpore

ſudante vel febricitante, quam humoribus temperatis exiſtentem; ideo hyeme difficilius inficiunt, quam æſtate; ideo homo peſte laborans, ſudans a) alium citius inficit, ac ſi non ſudaret. Contagium pariter metuendum tantum a rebus, quæ magis in quotidiano uſu fuere, præcipue veſtibus, non vero a talibus, quæ ſolummodo in domicilio ægri aſſeruabantur, præprimis mercibus. De multis aliis ſpargitur inanis contagii metus; quamvis non ſolum nonnullis antiquis, verum recentioribus etiam autoribus veriſimile ſit, corpora etiam dura, ut: corallia, metalla, nummos, ova, panem, gummata, coffeam, triticum, poma, ligna, ceram, ſacharum, mel, piſces ſalitos; nec non, olea, fluidaque omnia peſtis contagium recipere, et eo alios inficere valere. Sic inter alia nuperrima legitur obſeruatio peſtis communicatæ per corallia et nummos aureos. b)

---

a) ſubtiliſſimum maximeque activum eſt contagium ex moribundis exhalans in vigore non tantum febris peſtiferæ, ſed etiam epidemiæ peſtilentialis. Abſolutis criſibus peſtilentialibus ſublataque febre nullum amplius ſtatui poteſt contagium per exhalationes. Minus pernicioſum eſt contagium in peſte Sporadica.

b) Berliniſche Sammlung zur Beförderung der Arzeney Wiſſenſchaft, Naturgeſchichte und Haushaltungs-Kunſt. Berlin — T. VI.

At ſedula obſeruatorum attentio hanc contagii nimis magnam extenſionem facile dilucidabit. Adhærere quidem miasma peſtilentiale leui ſuperficiei corporum durorum, concedo; nihilominus tamen iis peſtes propagari poſſe, nego: quia ab aëre, et ſolis calore facile diſſlatur, adque ideo hæc corpora purificantur. Et pone data occaſione contagium ex certo loco infecto cum coralliis, nummis et ejusmodi corporibus duris in alium adductum fuiſſe; ergo ibi non ſola extitere corallia, ſed affuerunt etiam res molles, vel homines ipſi, qui contagium transportarunt; ſicuti in Epidemia Tranſylvanica 1770 anni falſa fama ſpargebatur, peſtem per ſola corallia, a militibus in finibus Tranſylvaniæ ex domo infecta ablata, in aliquot pagos Siculicos eſſe translatam; ubi tamen alias etiam res molles abſtulerant, coralliaque ipſa filo et cingulo linteo annexa fuerant.

Exiſtit *vero quartus adhuc contagii modus*, nempe per aërem, ſeu vehiculum effluviis contagioſis refertum. Contingit hoc, ſi nimis prope adſtes ægro, ut ejus exhalationes bene inſpirare poſſis; vel ſi in domicilio aër incluſus et multis exhalationibus peſtiferorum inquinatus fuerit; immo contendunt *Sydenhamus*, *Swietenius*, *Mertens*, aliique fide digni auctores a) peſti-

a) Sydenham l. c. Swieten commentar. in Bœrhav.

feris multis insepultis aërem liberum pestiferum, eumque in viciniis locorum, ubi plura cadavera hominum peste mortuorum insepulta putrescunt absque fomite, vel personali consortio contagiosum fieri posse. Sed aër contagium non procul defert; et quamprimum eidem libera communicatio cum atmosphæra conceditur, hæc effluvia dispersa et divisa virus suum perdunt b)

T. V. Mertens p. 114. Popularis in Valachia sub ultimo bello russico 1770. erat pestis; frequentissimæ quoque muscæ; ac quum multa tunc temporis pestiferorum cadavera insepulta, hic illinc, diu jacerent, ita ut in putrefactionem abirent, visum variis peregrinatoribus est, quod muscæ humoribus pestiferorum impletæ in sanis, eos vicissim ac mortuos aggrediendo et mordendo, excitaverint pestem; annon hi muscarum morsus constituunt inoculationis quandam speciem?

b) Ideo in urbe peste mulctata secure in viis et plateis ambulari posse, compertus sum; nec non in aleis et anterioribus ædium partibus; immo ipsis in domiciliis interioribus, pestiferos continentibus bene perflatis nullum adesse contagii metum experientia multifaria edocti observatores contendunt, eademque ratione absque noxa domos, ubi ægri jacebant, ad distans intrare potuisse, dummodo novo aëre domicilium renouatum fuerit, et ægros vel res infectas non tetigissent ipsi; ægrorum enim et rerum infectarum contactus, nec non exhalationes concentratæ tantum inficiunt.

§. 5.

Epidemica dicitur peſtis, quia multos in eodem pago urbe vel regione quodam tempore invadit; nonnunquam in quibusdam locis adeo ſe extendit peſtis, ut paucæ familiæ liberæ ab ea maneant.

§. 6.

Bubones ſunt tumores inflammatorii et ſuppuratorii locorum glanduloſorum. Hinc oriuntur in inguine, ſub femore, ſub axillis, pone aures, et ſub maxillis, quorum frequentiſſimi inguinales, dein femorales, axillares, rariſſimique pone aures. Viſi tamen etiam ſunt bubones in jugulo, mammis et poplitibus. Prodeunt nonnunquam ſine ulla ægritudine ante ingreſſum morbi, ſæpius cum aliis ſymptomatibus, interdum paulo poſt, et conſtituunt veram peſtis criſin. Succedit hoc in nonnullis jam primo, quamplurimum tamen ſecundo vel tertio die, raro quarto, bubonesqu prodituros indicant glandulæ cujusdam dolor & tumor, qui tandem vario modo creſcit a magnitudine piſi ad pugni volumen usque. Numero tamen differunt bubones in variis ægris pro diuerſa morbi et corporis ratione. Nonnulli enim, quod frequentiſſimum eſt, uni-

cum tantum habent bubonem in hoc vel illo locorum ante nominatorum; alii in utraque parte inguinum vel axillarum, alii porro in uno eodemque inguine duos, alii denique in toto corpore modo tres, modo quatuor; et rursus aliqui vel solos bubones vel carbunculis conjunctos. Sæpius quoque apparent bubones sub axillis et inguine ejusdem lateris; rarius in utroque inguine, et rarissime in utraque axilla. Parotis tumens utplurimum comitem habet sub alterutra axilla vel inguine bubonem; subinde et una glandula ex axillis nonnunquam et una parotis infestatur. In epidemia Transylvanica 1786. occurrerunt bubonum casus, ubi unus sub axilla dextra, et alter in sinistro inguine sedem habuit, et vice versa, sub axilla sinistra et inguine dextro.

Bubo pestilentialis exortus jam vel abit in gangrænam, vel transit in suppurationem, qui frequentissimus morbi exitus salutaris, raro septimo nonoque die plerumque ad 14-20 diem contingit, a) vel quod rarius mutatur in scirhum, vel discutitur subsequente vel concomitante sudore largissimo b) mensibus, alvo, vel urina pu-

a) fistulosos interdum remanere bubones annotarunt quoque aliqui pestis scriptores.

b) Daves in relatione de peste Allepensi, quæ excus-

rulenta absque noxa cum ægri levamine; quorum dictorum varios casus mihi in epidemia Transylvanica 1786. videre contigit. Iuruncolos copiosos in variis corporis partibus oriri vidit *Orus* l. c. p. 152. post resolutionem bubonum, in aliis efluxum materiei puri analogæ ex pene. Nonnunquam cum damno regurgitat ad alias diversas partes bubo discussus; in talibus plerumque succedere deliria, ophtalmiæ, tumores colli, peripneumoniæ, phreneses, vomitus, carus, convulsiones, (prout nempe retrogressa materies hanc illamve partem occupaverit, purpura, petechiæ et mors. a) Interdum bubo ex uno loco in alium migrauit in epidemia Coronensi anni 1718, ut, ex inguine in axillas sæpe tertio, septimo, immo decimo quarto die: quod vero malum erat.

---

sa in Transact. Philos. T 53. p. 39. Albrich l. c. Sudorem tamen illum frequentius in statu ac decremento apud ægros animadvertit cel. Daves. Ego pariter.

a) Albrich l. c. Chenot l. c. p. 78. Rivinus P. 8. Retrocedit vero bubo præter debilem vitæ vim inter alia a venæsectione inconvenienti, vomitibu crebrioribus et alvi fluxibus, terrore superveniente, frigore admisso, et adstringentibus aut resolventibus mercurialibus externe adplicatis, potuque frigido.

§. 7.

Carbunculi ſunt furunculi maligni celerrime in gangrænam abeuntes. b) Prægreſſa febre nunc majore nunc minore, die ſecundo, tertio vel quarto, ſubinde ſerius a) conſpiciuntur in omnibus partibus musculoſis. Utplurimum tamen truncum et artus infeſtant, rariſſime extremum pedem vel manum. Viſi ſunt in epidemia Coronenſi 1718. in vertice capitis, ſuper musculo temporali, in facie, ceruice, collo, thorace, ſub umbilico, in infimo ventre, ſuper ſcapulis, in lumbis, clunibus, labiis vuluæ, extremitatibus, et digitis extremis; ut et interne in collo veſicæ urinariæ, immo in bubonibus ipſis. d) In inteſtinis, ventriculo et omnibus partibus

---

b) carbunculus et andrax ſunt Synonima. Solito autem per andracem vehementior morbi gradus intelligitur, et per carbunculum levior.

c) in Epidemia Tranſylvanica 1786. in ancilla, ubi altero morbi die ob frigus admiſſum menſes prodeuntes turbatæ erant, nono tantum morbi die acceſſit carbunculus, et aliquot dies poſt bubones duo. Idem contigit in puero novem annorum eadem ratione.

d) in parotide carbunculum vidit Schreiber p. 18. In femoralibus bubonibus aliquoties chirurgi in epidemia Tranſylvanica 1786.

internis carbunculos ſtatuit Diemerbroeke; inque mamma et lingua prope tendinem Achillis; ſub poplitibus et capillata capitis parte eosdem obſeruauit cel. Chenot (l. c. p. 83.)

Sunt vero carbunculi humidi vel ſicci ſoli vel cum bubonibus vel petechiis juncti: Rariſſime tamen citius bubonibus, ut plurimum ſerius prodeunt, nonnunquam etiam absque bubonibus: Sæpiſſime tempeſtate fervida, Iunio, Iulio et Aug. animadvertuntur; rariores ſunt autumno vergente, hieme et initio veris: ſparſi tamen hic illic videntur.

Ratione numeri carbunculorum in eodem ſubjecto ſunt modo unus, modo plures: modo majores, modo minores. In epidemia Coronenſi 1718 in ſutore, apparuere ſeptem, (quorum diameter quatuor pollices latus erat) in vetula quindecim et minores inſtar groſſi per totum corpus diffuſi cum adjunctis petechiis rubris; nec non in infante viginti quatuor. Chenot numerauit in ægro duodecim In epidemia Tranſylvanica 1786. in veſpillone vidi ego carbuncolos ſeptem et tres bubones; nihilominus convaluit ille, uti pariter antecedentes ab Albrichio descripti ægri.

Ratione peripheriæ in epidemia Tranſylvanica 1718. diameter carbunculorum in aliquibus ægris unum, in aliis 2 - 5 pollices æquabat. Quo

plures tamen prodeunt in corpore carbunculi, eo minoris voluminis sunt illi, majoris vero si pauciores. Solitarii plerumque sunt carbunculi, nonnunquam plures confluunt in unam massam, ac si unicus esset.

An carbunculi, uti bubones, pariter vere critici dici possint, divisa apud autores sententia est. *Sydenham*, *Schreiber* et *Mertens a*) contendunt: carbunculos et petechias mere symptomata esse denotantia solutionem humorum putridissimam, maximamque acrimoniam. Hæc, quamuis clarissimorum virorum sententia a sedula morbi perscrutatione nata sit, negari tamen non potest: carbunculos crisēos quandam speciem constituere licet infidæ et sæpius periculosæ: est enim carbunculus excrementum materiæ malignæ ex sanguine a natura ad partes exteriores factum; a) Verum hinc etiam est: ut quo frequentius bubo-

---

a) Sydenham l. c. Schreiber observat. et cogitat. de peste. p. 41. Mertens p. 110.

a) ruit ex hac theoria etiam consilium Cl. Samvilovitz, quo suadet frictiones glaciales carbunculo applicare sanandi causa, qui repellit rursus in sanguinem putridam hancce materiam, turbatque sudores criticos Vid: Samvilovitz, lettre sur les experiences des frictions glaciales pour la guerison de la peste a Paris 1781.

nes et rarius carbunculi accedunt, eo mitior sit pestis; et periculosior, quo plures vel majores adsunt carbunculi.

Celerrime transeunt in gangrænam carbunculi; tuncque pars mortua separatur ut plurimum nono vel decimo quarto die a carne sana. Manet dein ulcus pro diuersa corporis ratione diuersum in hoc ægro facilius, in illo difficilius sanandum.

§. 8.

Verum enim vero non omnimode constantes in omni peste sunt recensiti hi notionis characteres; neque ex ipsis formari definitio logica potest: contraria enim quædam interdum de hoc vel illo pestis charactere in hoc vel altero subjecto proferri possunt. Quæ inconstantia occasionem sæpe medicis dedit ad summas dimicationes ac discrepantias, an præsens morbus vera pestis sit, vel solummodo febris maligna. b) Enarrabo itaque ea sincere, quæ experientia de eo docuit.

---

b) Id eo facilius fieri potest, quando epidemiæ pestilentiali antecedunt febres putridæ graues. Exempla talium litum habentur de peste Noviomagensi, Marsilienſi, Transylvanica 1718 et 56 aliarumque.

1. Non defuere autores magni certe nominis, qui *absque omni febre* peſtes ſtatuerunt. Sufficit ex iis proferre *Rivinum*, *Diemerbrœckium*, et *Chicoinau.* c)

Horum virorum de peſte optime meritorum aſſertum, quod naturalem interdum inuenerint pulſum, in dubium plane non vocabo: ſed ex pulſu tardiori quomodo concludi poteſt, nullam adeſſe febrem? cum ſæpe in febribus putridis malignis etiam pulſus naturalis, immo naturali tardior adſit; an quis hoc præſente pulſu in febribus putridis nomen febris ipſo jure eis quoque denegabit? adde propoſitiones, an recenſiti autores omni ab initio morbi aliquoties, die pulſum maxime variantem recte exploraverint; et annon ex unica exploratione ad totum morbi decurſum extenſionem fecerint, cum pulſus e contrario initio celer, dein vero debilis factus fuerit? tertio, ipſe *Sydenhamus*, qui peſtes etiam absque febre ſtatuit, ſuſpicit in talibus ægris rigorem ac horrorem leviuſculum præceſſiſſe; quommodo ergo vir expertiſſimus ſibi contradicere et peſtes absque febre contendere poteſt, cum rigor febris ſit initium? denique conſiderari debet, cum

c) Chicoinau relation de la peſte de Marſeille 1720. Diemerbroeck l. c. Rivinus l. c.

omnis bubo morbi ſit criſis absque minima ſaltem perturbatione pulſus, adeoque febre in benigna etiam peſte contingere poſſit. Manet igitur ſententia illæsa: in omni peſte adeſſe febrem, in hac, magnam, in illa minorem, inque alia leviſſimam ab ægro fere non perceptibilem.

2, Non ſemper adeo *lethalem* eſſe peſtem, uti præcedenti paragrapho adnotavi, experientia multiplici compertum eſt. Nonnunquam enim, præſertim declinante morbo, nec non tempeſtate hyemali frigida pauci afficiuntur, et pauci moriuntur, vel pauciores ſeriusque, uti in nonnullis malignis putridis interdum accidiſſe notum eſt. Nec fidem merentur vulgares illæ fabulæ, quod aliqui homines eodem momento, quo miasmate peſtilentiali correpti fuerint, ſubito perierint ſani. a) Idem mecum contendunt cel. *Renzing* et *Mackenzie*, addendo, ante mortem ſemper evolutionem aliquam contagii in

a) hoc intelligendum quoque erit de apoplexiis cum ſubsequente morte ſubitanea, quas nuper adhuc defendit ex aperto diu clauſo mercium valde infectarum ſacco, et inde per nares cerebro et ſyſtemati nervoſo communi ſtatim primarioque communicato miasmate peſtilentiali cel. Paris in Memoire ſur la peſte p. 11.

corpore ægroti procedere debere: eaque exempla, quæ vulgo adducuntur hominum, qui per urbem ambulantes, consuetaque vitæ officia subito sine ullo prægresso morbo mortui ceciderint, ex eo oriuntur, quod qui peste laborant, morbum illum quantum fieri potest, ne ab aliis deferantur, dissimulant, et ita vehementiæ morbi resistentes tandem victi subito pereunt.

3. Cel. *Mackenzie* sæpius eo tempore, ex quo ipse in Oriente commoratus est, per viginti scilicet annos, tam *sporadice* quam *epidemice* grassatam esse pestem Constantinopoli, Smyrnæ et cæt. typis evulgavit. Ideo contendit etiam pestem in Europa vehementius grassari, quam in Turcia. a)

4. Absque *contagio*, seu ex causa interna sensim evoluta pestem quoque oriri non solum in dominio turcico (idque frequentissime) verum etiam in Europa, res est, quæ nulla demonstratione eget. b)

---

a) Mackenzie in Philos. trans. T. 47. p. 384. Russelthe natural history of Aleppo. Forte ideo plures necat pestis in Europa, quia hic plures adsunt urbes, pagi, hominumque numerus major ac Turciæ, adeoque commercium hominum morbique alimentum plus est.

b) Ferro nähere Untersuchung der Pestansteckung — ubi multæ historiæ talium pestium sunt collectæ.

5. Moriuntur ſæpe ægri absque *bubonibus* et *carbunculis*, ſolummodo cum, vel absque, *pezechiis* etiam; id quod in maximo peſtis gradu (frequentiſſime menſe Iulio) contingit, ubi nempe vires naturæ a virulentia peſtilentiali plane oppreſſæ reagere nil poſſunt, adeoque miasma nulla ratione expellere et ita ſuccumbere debent: cito enim morbus tranſit in gangrænam. Accedit talis mors poſt aliquot horas aut eodem die, (raro ſerius) cum maximis anxietatibus animique deliqniis jam ab initio morbi præſentibus. c) Sciendum tamen etiam eſt, dari bubones extra peſtem in aliis febribus malignis, lue venerea, ſcorbuto. d) Non minus carbunculi occurrunt in febribus putridis. Carbunculum cum febre vi-

---

c) Ruſſel l. c. Diemerbroeck l. c. p. 18 et 261. Chenot, Mertens p. 109 et 132.

d) Chenot l. c. Zimmermann von der Erfahrung T. II. Grant Beobachtungen über die anſtekende faule Fieber p. 13. Hæc ratio medendi T. XIV. p. 301. Bubonem in viro febre putrida laborante in femore orientem vidi Viennæ in Nosocomio Fratrum miſericord. anno 1776. Subaxillarem in pago nuper in cachetico viro inflammatione ventriculi ac inteſtinorum mortuo bubonem crualem nuper cum febre vidi in puero 18 menſium; tres carbunculos benignos absque febre manifeſta juncta feliciter curatos mihi hoc anno 1789 febribus

dit biliosa Cl. Stolle. a) Hinc bubo et carbunculus cum febre sola non constituunt pestem. Sic etiam parotides in morbillis, scarlatina nec non febribus catharhalibus sæpe ipse vidi præsente febre nunc majore nunc minore.

§. 9.

Cum itaque constantes in omni pestifero characteres enumerati non sint, et singuli etiam in aliis morbis inveniantur, officium ergo prudentis medici erit data occasione, ex symptomatibus in quibusdam vel pluribus ægris collective sumtis, pestis definitionem componere. Præ aliis vero optimum indicium ejus exhibent bubones et carbunculi cum summo infectionis gradu eorum cum quibus commercium est.

---

putridis divite, videre contigit, unum in nucha, alterum inter scapulas, et tertium in brachio dextro; hunc in virgine mense Majo, alteros duos in duabus fæminis, unum in Ianuario, alterum Majo quoque. Sæpius vero parotides non solum in simplicibus febribus putridis, quam præsertim miliaribus punctis.

e) Sauvages nosologia T. I. p. 417. uti et Grant Beobachtungen über die Fieber p. 528. memorabi em casum narrat febris malignæ cum carbunculis.

a) Stolle rat: med. T. II. p. 177.

§. 10.

Præmiſſis his ſignis peſtis characteriſticis aliquot exponam verbis, qua ratione bubo peſtilentialis ab aliis generis bubonibus ut venereo, putrido, ſcorbutico, catharali etc. diſtinqui bene poſſit.

1: *In bubone ex acrimonia* ſanguinis in genere oriundo nulla adeſt alia ægritudo exceptis nonnunquam efflorescentiis cutaneis aut ejusmodi cognatis vitiis. Aliter ſe res habet cum bubone peſtilentiali.

2, bubo *venereus* ſequutus eſt (ex relatione ægri) coitum impurum; febris adeſt vel nulla vel pauca; deſunt quoque, vomitus, dolor capitis, petechiæ, carbunculi, aliaque peſtis propria ſigna, et plerumque ſimul adeſt gonorhæa, ulcus, vel aliud ſymptomata venereum. Bubo peſtilentialis quoque citius creſcit, citius rumpit quam venereus, et ulcera habet majora ac ille: dein rariores ſunt bubones venerei in aliis ac inguinum partibus.

3., bubo *putridus* tardius ſupervenit febri putridæ, peſtilentialis vero citius, ſimulque caret ille peſtis aliis ſignis diagnoſticis, rarius quoque eodem tempore ſeu in paucis hominibus tantum

occupant bubones putridis febribus laborantibus, in multis vero peſtiferis.

4., bubo *ſcorbuticus* differt a peſtilentiali, quod a pluribus jam hebdomadibus ſcorbutus cum ſuis ſymptomatibus præceſſerit; peſtilentialis primis jam morbi diebus erumpit. Scrophuloſus patet ſignis ſuis characteriſticis.

5) Bubones præcipue parotides in vel poſt, ex ſuppreſſa transpiratione) *ſcarlatina* eriſipobele purpura et *morbillis* prorumpentes proprio ſuo exanthemate cognoscuntur, et in febribus catharhalibus aliis febris catharhalis ſymptomatibus, nec non, quod in his alia malignitatis ſigna abſint. Frequentius infeſtant hi tumores ætatem juniorem, rarius adultam. Vidi tamen etiam talem in puero trium annorum ſubaxillarem ſemel ſcarlatina laborantem.

6) tumores colli *in infantibus difficile* dentientibus declarant alia ſigna dentitionem concommitantia, illique, ex *ſuppreſſo aurium fluxu* orti cognoſcuntur, ex eo, quod ille fluxus repente ceſſauerit, eumque ſit ſecutus colli tumor.

Sciendum tamen etiam eſt, jungi hosce bubones ſeu invicem complicari poſſe. Cavendum quoque erit, ne herniæ inguinales incarceratæ parvæ vomitu et febre ſtipatæ pro bubonibus pe-

ſtilentialibus declarentur, præcipue temporibus ſuſpectis.

Cap. II.

De cauſa peſtis proxima seu miasmate peſtilentiali

§. 11.

Proximum eſt, ut inquiram, *quidquid ſit, quod peſtem producat, ubi hoc contingit*, et *quomodo?* Producit peſtem miasma peſtilentiale; miasma ſpecificum, uti varioloſum, ſubtiliſſimum et teterrimum omnium miasmatum in rerum natura exiſtentium, natales ſuos ubique locorum habens; modo in aliquo loco, præſertim urbe magna, populosa concurrant cauſæ ejus communes. Falſa igitur ſententia quam plurimorum autorum, qua ejus patriam ſolummodo vel in Aegypto vel Aetyopia, vel alibi quærere, et inde ſolo ſemper contagio mediante fomite in noſtras regiones producere voluere. Idem confirmant peſtes in Europa abſque contagio enatæ, quæ inter alia belli tempore gravis potiſſimum ſuscitantur, præcipue ſi urbes diu maxima anonæ penuria, longisque obſidionibus gravibus premantur, ſi inſuper ac-

cedat aër humidus calidus. Quoniam vero tantæ calamitates Europæ rarius contingunt, hic ut plurimum peſtes oriuntur hominibus aut fomite infecto ad nos translato ex regionibus dominii turcici, in quo quotannis omnes peſtis cauſæ concurrunt; certo quodam anno et loco tantum plures et graviores, alio leviores et pauciores. Nec in dominio turcico unica urbs ſola dici patria peſtis poteſt. In omni copiosa ejusdem urbe, ut Adrianopoli, Conſtantinopoli, Alexandriæ, Smyrnæ, Cairo etc. ſemper adeſt abundans cauſa es pabulum mali; et ibi ex ſeminio proprio interno euolui ſolet; pro diuerſitate locorum, alimentorum ſtatu et epidemica aëris conſtitutione tantum hic vel illic ſævior vel levior occurrens a) Ita, cœteris paribus, ſævius graſſatur peſtis in Alexandria in Aegypto, quia hæc urbs magna præter cauſas ſequentibus memorandas multis paludibus circumcincta ſimul eſt, adeoque peſtis virulentis exhalationibus eorum putridis multum ibi exaltatur: quamobrem peſtis patriam nonnulli Alexandriam appellant. Endemia hinc in terris turcicis eſſe ſolet peſtis,

a) ideo rarior et mitior eſt peſtis in pagis Turciæ, præſertim in illis, qui parum commercium cum aliis habent; copioſor contra in majoribus urbibus.

uti in locis maritimis frigidis scorbutus, præsertim ob triste fatum Mahomedanum.

His præmissis jure statui potest, *pestem duplici via orriri*; nempe ex causa interna sensim evoluta, uti vulgo in Turcia et nonnunquam apud nos contingit vel 2. contagio, ubi nempe hoc venenum varia supra indicata ratione ad alios translatum humoribus corporis humani communicatum fermentativo modo febrem incendit, et ita singula pestis symptomata producit.

Quid vero jam in dominio turcico ansam det generandi miasmatis pestilentialis, an ex inundationibus Nili in Aegypto producatur, et solum inde in alias regiones turcicas contagio propagetur, vel a ventis calidis ex desertis Aetyopiæ et Aegypti flantibus, aut aliunde? a longo tempore ab autoribus quæsitum est. Multas ego sufficientes habeo rationes, ut ejus causam ponam in humorum corruptelam exortam ex miserrimo vitæ genere inter plebejos, in magnam penuriam, famem, cibos cacochymicos, et immunditiem; accedente climate calido regionum orientalium. Consentiunt mecum observatores, qui in Turcia ad eruendas ejus ortus rationes omnem navarunt operam. Inter alias memorabiles observationes de pestis ortu mihi quoque communicavit meus jam beate mortuus amicus

cel. *Renzing* quondam Archiater Principis Tartariæ, qui per multos annos in terris turcicis, Conſtantinopoli, Aegypti, Smyrnæ et Valachiæ medicinam exercuit. Obſeruauit ipſe, plebejos in toto terrarum orbe ob eſculentorum caritatem, ingentem eorum paupertatem et egenorum a die in diem miſere victum quærentium copiam, nullibi tam miſere viuere, quam in Turcia, et inter alias Conſtantinopoli. Solent, ait ipſe porro, multi pauperrimorum ſocialiter in conclavibus anguſtis, profundis, cellisque humidis habitare, adeoque exhalationes proprias putridas imbibere rurſus, ſtramine putrescente decumbere, et clivis ſæpe ſemiputridis, cepa, ouis piſcium rancidis (caviar ibi dictis) piſcibus ſalitis, copioſo et pane aquoſo acido non ſatis cocto nutriri a) Domicilia interna Turciæ incolarum a nimis frequenti uſu balneorum ſunt ſemper humida; b) ignem ſolis carbonibus absque forna-

---

a) Græci et Armenæ potiſſimum amant oua piſcium, cepam, olea.

b) duplex vero balneorum genus in Turcia eſt, unum, cum ſapone et aqua pura, alterum cum ſapone, calce viva et arſenico, quo ultimo cutis crines evellunt. Hæc balnea præſertim ultima ingentem ſpargunt fœtorem in cubiculis.

cibus parant, et ne frigeant, ſolent multi nocte vaſa carbonibus incenſis repleta ſtragulis ſuppone-re, eorumque fumum calidum inhalare: accedit his, quod Conſtantinopoli ædes ſint altæ et plateæ anguſtæ, ſtagnare ergo aër exhalationibus variis repletus in domiciliis ſemper debet, quia vento dispelli non poteſt. Accedunt Aegypti exhalationes putridæ effuſi Nili, in aliis vero provinciis maris, aërisque frequentes mutationes. Quantum faveant propagationi peſtis Conſtantinopoli fœtidiſſimæ Iudæorum plateæ, areæ, domus, immunditiesque horribilis ſat viuis coloribus deſcribit Cel. Paris (l. c.). Multum quoque damni parere debet Conſtantinopoli portus juxta urbem ſitus, in quem omnia cadauera, ſanguinem animalium mactatorum, aliaque fœtida injiciunt urbis incolæ, quæ ibi putreſcunt et ſæpe tempeſtate placida ventis carente magnam urbis partem vehementiſſimo fœtore implent, quia a nimis paruo riuulo in portum influente non ſatis renovatur portus; adeoque aqua heterogeneis rebus gravida ſtagnat ibidem et putrida fit. Nec ſanitati convenire poſſunt nebulæ craſſæ, quibus Conſtantinopolis aliæque urbes turcicæ autumno, hyeme et vere obteguntur; aqua potulenta, quæ omnis vappida et malæ Conſtantinopoli exiſtit, noctesque frigidæ

diebus ſumme calidis ſequentes. Ex his enarratis natam humorum corruptionem ibi eo magis promouere debet vegetabilium in cibis nimis pauca, immo fere nulla conſuetudo, omiſſioque uſus vini, quod Turcæ ex lege et Græci plurimi ex avaritia aut inopia non bibunt; nec non jejunia anniverſaria Turcarum lege per tempus lunare obſervanda, ubi ab ortu ad occaſum usque ſolis plane nil ori ingeritur.

Primariæ præcedentibus evolutæ peſtis cauſæ concurrunt in bellis turcicis ut plurimum. Ideo frequens adeo bellorum turcicorum tempore peſtis eſt; ideo ob multa geſta bella præteritis ſæculis ita vulgaris Tranſylvaniæ peſtis erat, ideoque hoc ſæculo multo tranquiliori apud nos multo rarior præcedentibus eſt.

Materia itaque, ex qua in Turcia præparatur miasma peſtilentiale, potiſſimum humorum corruptionem involuere videtur, quia ex cauſis oritur, quæ humorum degenerationem efficiunt, quia ſæpe immediata ſerie ſequitur febres putridas epidemicas peſtis, quia miasma peſtilentiale jam exiſtens a cauſis putredinem producentibus exaltatur, et quia phænomena in peſte occurrentia quam plurimum ſanguinis diſſolutionem indicant; inde peſtes ſunt plus minus, putridæ indolis, inde in Turcia etiam

peſtis potiſſimum inter plebejos graſſatur, rarius divitem aggreditur, non minus ac in aliis Europæ regionibus. a)

His rite inter ſe perpenſis miasma peſtilentiale definiri poteſt, quod ſit: tenuiſſimum et ſumme volatile animale alcali ſanguinis naturalem craſin diſſoluens et deſtruens eumque, ad phlogoses et gangrænas peſſimas efficiendas diſſol-

a) multum quoque favet huic theoriæ inter alios multos autor innominatus, (clericus, cujus nomen eſt Siſſini) in libello, qui Yverduni 1779. prodiit ſub titulo: della peſte di Conſtantinopoli del 1778 obſervationi ſulla medeſima e reflеſſioni del' autore. Et optimus meus amicus cel. Ferro, von der Anſteckung der epidemiſchen Krankheit, und beſonders der Peſt 1778 Leipzig. Ut alias taceam regiones, in epidemia peſtilentiali 1718 et 86. febres putridæ et variolæ petechiales peſti anteibant; amicusque Conſtantinopolitanus mihi retulit, quod febrium putridarum peſti anteitio ita nota in Turcia vulgo ſit, ut graſſantibus jam variolis nigris peſtem iis ſequuturam eſſe prædicat. Frequens in hac ultima peſte, menſe Auguſto et ſequentibus in aliquot pagis (quamvis peſte non infectis) erat lues bovina, oscines in domiciliis copioſe moriebantur, et apes ſequenti hieme ac vere.

uens. Potiſſimum vero in ſyſtema neruoſum vim ſuam exercere videtur. a)

Demonſtrant idem phœnomena in peſte occurrentia, qualia ſunt; ſubita virium omnium proſtratio cum animæ dejectione in initio jam morbi, pulſus mire variabilis, debilis, inæqualis, paruus, calor paucus externe animadvertendus, nauſea, cardialgia, vomitus materiæ æruginoſæ, vertigo, temulentia, dolor capitis, anxietates, deliria, ſtupor, phrenitides frequentes, oculi torui, ſplendidi, palpitationes cordis, animi deliquia, tremor, convulſiones, urinæ pallor, aliaque copioſa ſymptomata neruoſa; quæ certe corruptioni humorum non contribues, ſed potius labefactato influxui ſpirituum vitalium in cor. In primo enim ſaltem impetu nulla humorum corruptio proditur; immo adeſt in nonnullis inflammatoria ſanguinis viſcoſitas.

Hoc miasma jam in corpus illatum in nonnullis prima adhuc die in aliis ſerius peſtem producit ſecundum diverſam ſuam volatilitatem, co-

a) Mead de peſte. Chicoinau l. c. p. 75. Frid. Hoffmann opera omnia T. II. Sect. I. cap. XII de febri peſtilentiali. Diemerbroeck l. c. Pringle von den Krankheiten einer Armee p. 377. Chenot. p. 42.

piam et malignitatem, et imprimis corporis dispositionem. Non ultra septem vero dies delituisse in corpore humano experientia suffulti referunt varii graues viri: a) hinc tempus, per quod secludantur homines ex locis infectis venientes pro probatione sanitatis ad 15 - 20 dies tuto restringi posse concludit cel. Rosenstein. Ruit hinc fundamentum quarantænæ 40. dierum quæ in finibus Transylvaniæ hucusque seruata nostris regionibus plus detrimenti commercio facto attulit, quam ipsa pestis. b)

a) Kœleserus l. c. Mackenzie in philos. trans. T. 47 Chenot l. c. Rosenstein talom peston p. 16. Mertens p. 92. Plures alios auctores recenset Diemerbroeck l. c.

b) Quapropter non satis laudibus efferre possum optimi nostri Principis *Iosephi Secundi* noua circa quarantænam in finibus nostris continuo adornatam anno 1785. publici juris facta institura, secundum quæ silente peste in Turcia hominibus ex ipsis regionibus turcicis ad nos advenientibus non minus ac illis ex Valachia et Moldavia peregrinantibus sine mora via libera in nostrum territorium patet; solæ tantum vestes in finibus illis vel mutandæ vel lavandæ purificandæque ipsis sunt. Suspectis tamen in dominio turcico temporibus per decem dies et in ipsa peste per 20. servandâ quarantæna est; quarum eadem ratio habetur mercium. Tota Transylvania hujus Cæsarei mandati publicationis diem

§. 12.

Virus peſtilentiale in fomite exiſtens, uti filum varioloſum per longum tempus activum

---

pro initio futuræ ſalutis et adipiſcendarum divitiarum, commercio nunc libero facto jubilans ſalutavit. Nec video ego, cur, ultra 10 - 14. dies homines ex dominio turcico advolantes in quarantæna 40. dierum aſſervari debeant, quum conſtet 1*mo*: non ſemper peſtem ex dominio turcico ad nos venire; 2*do*: ipſam peſtem in Valachia et Moldovia nobis vicina non multo frequentiorem eſſe ac in Tranſylvania; præſentem vero ibi peſtem plerumque ad nos pariter propagari, quamvis per 6 hebdomadas homines in finibus Tranſylvanæ includantur. Vidi enim ipſe, vidit Chenot, viderunt et multi alii plenariam purificationem rerum infectarum impoſſibilem eſſe; favente ergo aëre, aliisque cauſis prædisponentibus per ipſam quarantænam peſtis in noſtras terras introduci poteſt. Adde, quod paupertas de die in diem in Tranſylvania creſcens noſtros incolas in regiones turcicas peregrinari cieat; multi vero pauperrimorum quarantænam adeo longam ſervare non poſſunt, plus enim ibi conſumerent, quam itinere nacti ſunt; ideo per tramites occultos cum mercibus in Tranſylvaniam intrare coacti ſunt, ſi uiuere velint. Quarantæna itaque longior peſtem non plus a finibus noſtris arcet breuiori; immo probatis præmiſſis contendere poſſum, quod furente peſte tantum progreſſum

manet. Apud cel. *Chenot* purificationis minister ciſtam, quæ ſuppellectilem ex familia peſte

---

ejus celeriorem impediat, (quia maxima hominum pars præſertim opulentiorum quarantænam ſervat) et regiones noſtras depauperat. Eſt enim quarantæna continua optimum pro divitandis ſolis mercatoribus auxilium in ſocietate mercantibus, quibus opifex pauper impenſa longæque quarantænæ tempus timens merces lubenti ipſis pretio dare coactus eſt. Ex omnibus his præmiſſis demonſtrante id quotidiana experientia liquet, res impeſtatas nunquam inficere, niſi cauſæ externæ, aëris nempe mala conſtitutio, fames ac peculiaris corporis diſpoſitio ſimul adſint. Alias enim Tranſylvania, alias Hungaria continuo a peſte devoraretur, plena ſemper nimirum rebus ex Turcia clam allatis, etiam ex urbibus peſte infectis. Cui ergo bono longa quarantæna? Si enim cauſæ externæ in regione adſint, vel minimus fomes mox peſtem excitabit nulla mora ſeruata; cujus introitum nec vigiliæ denegabunt quidem; ſi vero cauſæ externæ nullæ adfuerint, qualiscunque innocens manebit: uti id quotidiana nos edocet obſeruatio. Adde, quod Turcæ omnes febres acutas peſtis nomine appellant et vicinas regiones falſo rumore terrefaciant. Hinc nuntia de peſte ex Valachia et Turcia ut plurimum ſunt falſa; præſertim dum ea ſæpiſſime a mercatoribus afferanrur, qui nullam morbi notitiam habent; atque boni hisce in locis medici vel nulli vel certo rariſſimi ſunt.

extincta, reſiduam aliquot menſes recondiderat, horis antemeridianis aperiens in peſtem incidit. *Erndtel* caſum adducit, ubi uxor aurigæ culcitras abſtulit, quibus ante annum peſte mortui incubuerant, et peſte correpta eſt. a) Plura alia exempla peſtium poſt multos menſes, immo annos fomite infecto exortarum varii ſparſim adferunt autores. Quam diu vero efficax in tali fomite miasma peſtilentiale maneat, determinari nulla ſane ratione poteſt; præſertim, cum ejus vis contagioſa non ita continua ſit, ut ſcabiei, nonnullis licet contradicentibus auctoribus; qui quemvis fomitem peſtilentialem in quocunque loco, omni tempore ſub conſtitutione etiam inflammatoria et copia esculentorum bonorum, peſtem producere ſtatuunt; Verum potius relativa, quod multiplici experientia demonſtrari poteſt. Innocens ſit fomes peſtilentialis in certo loco epidemia ceſſante, illeque tam diu actuoſus tantum eſt, quam diu durat conſtitutio epidemica peſtilentialis ſeu aër favens peſtis evolutioni. Quo tamen dictum non eſſe velim, hunc fomitem ceſſante peſte in hoc loco in alio etiam inefficacem fore concurrentibus ibidem cauſis prædisponentibus. Inde in Turcia etiam non omnes urbes

---

a) Erndtel Varſaviæ phyſice illuſtrata p. 171.

plenæ semper rebus infectis vexantur peste; ideo in maximis etiam ibidem urbibus, ut Constantinopoli etc. nonnunquam plane omnis intermittit pestis; quamvis nulla ibi quarantæna, nulla purificatio rerum infectarum ex lege publica existit; ideo inefficax omnis fomes pestilentialis fuit Londini finita ibidem peste. Rediere peste cessante 1665: mense Dec. Londinenses fugitiui, inquit *Hodges*, (l. c. Sect. 1. b) in suas domos, cubuere in lectos, in quibus pestiferi mortui erant et nemo amplius peste corripiebatur. Idem scribit *Chicoinau* de peste Marsilienſi: deleta peste moscovitica 1772. ultra 400. funera pestifera in domibus clam sepulta sunt effossa sine subsequente amplius ullo pestis contagio. Simile exemplum adducit *Oræus* in libro de peste. Ideo sæpius inefficax manet fomesque extinguitur ille pestilentialis ex Turcia illatus apud nos per plurimos annos.

§. 13.

Peste in epidemia Coronenſi 1718. bis terve aliqui corripiebantur. *Diemerbræck* et *Russel* a) variis obſervationibus cognoverunt eundem mor-

b) Hodges de peste Londinenſi.

a) Diemerbroeck l. c. Russel l. c. p. 225.

bum aliquoties ægros invaſiſſe. *Mackenzie* b) plures vidit, qui peſte aliquoties tentati fuere, et græcum quendam, qui noſocomii cujusdam curam habebat, decima quarta vice peſte laborare et tandem ea mori. Famulus Chenoti c) ter peſtem expertus eſt: eademque epidemia peſte mortuus eſt vir 35. annorum intra triduum, qui 1738 feliciter peſtem ſuperaverat. Et cel. *Mertens* narrat, quod in epidemia moscovitica 1771. medicus cum chyrurgo peſte aliquoties tentatus ſudoribus criticis cito ab ea ſit liberatus. d) In epidemica Tranſylvanica 1786 vera peſte laboravit puella, quæ 1770. eodem jam morbo decubuerat, ſalva manente vita; bisque ſub eadem conſtitutione peſtilentiali ægrotavit vir, mulier et puella; vir et mulier evaſerunt, puella vero altera vice mortua eſt. Ex his recenſitis ſatis ſuperque patet, ſcopo prophylactico inoculationem a cl. *Veſpremi* et *Samvilowitz* e) nuper rurſus propoſitam nil juvare, immo periculoſam

b) Mackenzie Philos. transact. T. 54. p. 69.

c) Chenot p. 49. 50.

d) Mertens l. c. p. 94.

e) Veſprémi tentamen de inoculanda peſte. Londini 1755. Samvilowitz memoire ſur l'inoculation de la peſte. Strasburg 1782.

esse. Rarius tamen eadem pestis hominem bis invadit, neque ita lethalis est.

§. 14.

Magnam intercedere cognationem inter pestem et variolas jam cognovit *Mead*, *Verny*, *Schreiber* et Mertens f). Utriusque enim causa morbi est miasma specificum contagio propagandum; uterque morbus orditur dolore capitis, dorsi, abdominis, lumborum, vomitu; singulis prodeunt proprii tumores, in peste bubones, in variolis pustulæ peculiaris & determinatæ formæ, quibus egressis remittunt priora symptomata: et si bona suppuratio succedit, ex utroque morbo ægri evadunt. Dein solemnes sunt utrique morbo petechiæ; uno tempore minus, alio plus inficiunt; immo nonnullos plane non tangunt, eademque ratione curantur bini morbi. Iunctis his affinitatibus tamen differentia quædam intercedit inter pestem et variolas. Variolis nempe homo plus semel non corripitur, peste sæpius; nec adeo periculosæ sunt uti pestis; febrisque in variolis plerumque intensior est, quam

f) Mead de peste. Verney Tr. de la peste 286. Schreiber l. c. p. 45. Mertens l. c.

in peſte: præterea variolæ ſunt in Europa endemicæ, certis annis regnant, plus infantes inficiunt; peſtis vero ex Turcia plerumque, translatitia indeterminato tempore oritur, et ſine discrimine omnes aggreditur. Miasma varioloſum magis afficit partes fluidas; peſtilentiale nervoſum potiſſimum, at ex fluidis, maxime ſyſtema lymphaticum; variolæ frequentiſſime regnant hyeme, peſtis magis æſtate et autumno, denique variolæ plurimæ ſunt inflammatoriæ naturæ, peſtis putridæ.

Cap: III.

De cauſis peſtis remotis, nempe *contagio*, *diſpoſitione* corporis et *aëre*.

§. 13.

Ut jam miaſma peſtilentiale corpus humanum inficere valeat peſte, concurrere debet

1. *contagium* et præprimis

2. *prædisponens* in *corpore humano cauſa* ad aſſumendum et aſſimilandum miasma peſtilentiale cum humoribus noſtris, et ad producendum morbum contagioſum, ſeu, ut *Sydenhamus a*)

a) Sydenham l. c. Suieten comment. T. V. p. 152. Diemerbroeck l. c. p. 68.

loqui amat, peſte corripiendus humores habere debet paratos ad afflatum excipiendum refertos. Hæc diſpoſitio vero eſt vel *uniuerſalis* vel *partialis*. Univerſalis eſt, ſi cauſa mali morbusque, in loco quodam ſeu pago, urbe, regione univerſalis exiſtat, ita ut fere omnes peſte corripiantur vel ſaltem corripi poſſint.

Partialis vero eſt, ſi hic vel ille tantum homo manentibus aliis ſanis peſte laboret, quæ cum eo ſimul evanescit. Non diſpoſitus ad peſtem eſt totus quidam pagus vel regio, ſi ſanus fuerit ille locus, ſi vero hic vel alter tantum homo peſte furente a peſte liber maneat, id ex ſpeciali corporis conſtitutione fieri credas.

Ex hac diſpoſitione explicari poteſt, quare non omnis locus verſans inter infectionis cauſas afficiatur peſte. Sunt homines, qui diu noctuque, inter peſtiferos verſantur, et profecto miasmate inquinantur, ab hoc morbo *interdum* ſemper, *interdum* per hebdomadas et menſes, immunes. Videtur in talibus hominibus cauſa prædisponente carentibus hoc miasma in corpore humano ſine ullo aut ſaltem perceptibili ſanitatis detrimento aliquamdiu deliteſcere poſſe, cum humoribus innocue circumduci et per transſpirationem inſenſibilem educi ſenſim; alios enim diſpoſitos hi inficere poſſunt peſte. Nonnulla ho-

rum assertorum in præcedentibus jam adduxi; specialiora adhuc quædam recensebo. Multa sparsim eorum in autoribus exempla legi possunt. Ita *Chicoinau* (l. c.) absque noxa aliquoties pestifero sedit ad lectum; apud *Schreiber* (l. c. p. 8.) mulier lue pestis contaminata in eodem lecto per omnem morbi decursum impune adcubuit; immo filia ejus cum carbone die morbi quinto obiens manica matrem momordit ad pectus, vulnus sanabatur et mater mansit sana. Cel. *Mertens* (l. c. p. 121.) adfert casum, ubi mulier cum octo liberis et duabus feminis in unico domicilio habitavit, omnes, muliere et puero sex mensium exceptis, moriebantur, et per 48. horas insepultæ in domo manebant; mansit mulier in ea domo, oscultata est mortuos, et tamen peste infecta non est. Ab aliis hominibus patet eos peste necatorum vestes absque noxa induisse; quales casus mihi noti sunt ex epidemia Transylvanica anni 1770.

Anno 1785. cum Bukaresti essem, Archiater tunc temporis Valachiæ Principis argumentum super hanc rem forte retulit. Dixit nempe, se quondam Constantinopoli ægrum adiisse, quumque de peste dubius fuisset, regionem subaxillarem digitis tetigisse, quæsitum, an bubones præsentes essent; atque ægrum in summo sudore in-

veniſſe et glandulam ſubaxillarem dolentem et tumentem. Maxime ſe perturbatum ob ſuſceptum forte contagium cum digitis ex ſinu ægri ſudantis ſtatim tabacum in perturbatione in nares traxiſſe, id per 1/4 horæ continuaſſe, adeoque ſibi miasma peſtilentiale cum tabaco in nares inoculaſſe, absque tamen ſibi ſubſequente peſte

In epidemia Tranſylvanica 1786. in certa domo moriebantur et pater et mater; filia, virgo circiter 20. annorum, parentes ſepeliebat, infans ſugens animam exſpirauit paulo poſt in gremio virginis hujus, quem pariter humo tradidit: nihilominus a peſte in tota epidemia ſalua manſit. Omnes quoque chirurgi in hac epidemia, ægrorum cuſtodes, immo purificatores ſani manſerunt, duobus exceptis cuſtodibus.

Cel. *Daves a*) hiſtoriam narrat, ubi nutrix infantis quinque menſium peſte correpta usque ad mortem fere infanti propria ubera præbuit, qui tamen ipſe affectus contagio non eſt. Idem apud nos obſeruavit cel. *Albrich* in epidemia

a) Daves in Philos. trans. T. 53. p. 39. Schreiber l. c. p. 10. ſimilem caſum adfert. In peſte Londinenſi quoque puerpera ad mammam recepit carbunculum, incolumi tamen ejus alumno. vid. Hodges l. c.

Coronenſi 1718. Immo tunc viciſſim infans fugens peſte correptus euaſit; mater vero ſana manſit. Varia etiam exempla cel. *Daves* puerperarum innotuere, quæ fœtus peſte correptos in lucem ediderunt, licet matres ipſæ ab hoc morbo liberæ eſſent.

Diverſa vero rurſus hæc corporis diſpoſitio pro ſingulari corporis conſtitutione manet; in uno ſubjecto major in altero minor eſt. Ideo iſte citius, tardius, levius, gravius aliis inficitur et necatur. Ideo in certis domibus totæ familiæ pereunt, in aliis pauci peſte aggrediuntur aut moriuntur; hinc in una eademque urbe non omni genti eadem ratione periculoſa exiſtit peſtis; pariter urbis plateas non tangit aliquas, alias devaſtat, id quod ſatis ſuperque patet ex peſtium hiſtoriis adnotatis. Hinc in diſpoſito cito leve contagium magnum fermentum, febrem et mortem promovebit, non diſpoſitus a majori non inficitur; uti ſcintilla facillime magnum excitabit incendium, ſi corpori inflammabili applicata fuerit; contra, vel extinguitur, vel difficilius tardiusque, ignem excitabit, ſi minus, vel plane non phlogiſticam rem tetigerit. Ideo reſiſtit peſtis evolutioni homo ſanus, impurus vero facile læditur. Ideo peſtis in domibus humidis, impuris habitantibus hominibus adeo periculoſa eſt.

Egregie pro demonſtratione horum, quæ protuli inſervire poterit memorabilis caſus mihi a cel. *Renzing* communicatus: cum interpres quondam in aula turcica Græcus nomine *Caraja*, qui jam bis peſte laboraverat, data occaſione Conſtantinopoli adiiſſet unum ex primis Cæſaris officialibus, ipſique Turcæ ex ſingulari indulgentia ad latus ſediſſet, reſpondit Turca, quod ante breviſſimum tempus filia dilectiſſima in gremio ſuo peſte obiiſſet. a) Timidus græcus ad hoc reſponſum valde perterrefactus ſtuduit diſcedere, domum feſtinavit, et domi reverſus ſtatim dejecit a ſuo corpore veſtes externas, famuloque ſuo dedit ad manus: nihilominus ſanus manſit interpres Græcus, hic ſervus vero brevi peſte correptus periit. Apud *Chenot* (l. c. p. 40.) quoque ſenex ſeptuagenarius e feneſtra domus infectæ panem accepit et peſtem, qua tertia die mortuus eſt. Sciendum interim eſt, æternum hanc corporis diſpoſitionem et indiſpoſitionem non eſſe: uti

a) ſilentio hic præterire non poſſum: ſexum ſequiorem ut plurimum in Turcia eſſe cachecticum, quia incluſæ feminæ in domiciliis maxime obturatis ſemper ſunt, multum cibos et potus dulces amant, nec non paſtas ex melle, farina et butyro: ideo plurimæ ſunt hyſtericæ.

corporis conſtitutio tempore mutatur, ita variat etiam hæc diſpoſitio per cauſas varias accidentales.

3.) Non parum quoque contribuet *aëris maſſæ occulta quædam craſis*, ſeu textura b) corpora humana ita disponendo, ut præparari in illis miasma peſtilentiale poſſit, vel ut facilius contagium ſuſeipiant diuerſis temporibus aut ipſi quodammodo reſiſtant. Unde peſtis quandoque lento paſſu procedit, alio tempore furore maxino regiones devaſtat, et ſub aliis circumſtantiis ſilet vel omnino evaneſcit. Occultum autoribus eſt, in quo ſemper conſiſtat hæc aëris craſis. Quam plurimum enim tempeſtas tempore peſtilentiali ſaniſſima fuit absque morbis epidemicis aliis. c)

b) seu aër peſtilentialis.

c) Albrich l. c. Chenot l. c. p. 37. Meſtens p. 94. 119. 165. Souvages nosologia methodica T. I. p. 415. Thucydides de peſte Athenienſi (vid: Hebenſtreit anthropologia p. 135.) Rivin. p. 20. In peſte Lipſienſi tamen procedens hiems calidus fuit; præceſſit quoque calida tempeſtas in epidemia Tranſylvanica 1718 et 56. Nullum tamen imperium habere lunam in evolutionem peſtis me attenta docuit obſervatio in peſte Tranſylvanica 1786. magnum vero tempeſtatem: accedente enim tempeſtati frigidæ calida humida plures inficiebantur homines ac necabantur peſte, pauciores vero cœlo ſereno et frigido.

Plerumque tamen antecedit vel concurrit cum peſte aër fervidus, ſiccus vel ut plurimum ſolet, calidus humidus, pluviæ multæ.

Epidemica aëris conſtitutio pro diverſa ſua indole miaſmatis peſtilentialis euolutionem et propagationem contagiique, vim et efficaciam multum intendere et infringere, immo plane penitus delere absque ulla hominum prudentia et induſtria poteſt: neque unquam hujus morbi daretur finis, ſi anni viciſſitudines et aëris mutationes in ejus virus nil imperii exercerent. Profecto, niſi aër adeo potens eſſet in propaganda, minuenda, immo delenda peſte ipſa, omni fere anno, vel ſaltem temporibus epidemicis in Turcia urgentioribus peſte obrui deberent noſtræ regiones Turcicis vicinæ ob continuum, per tramites occultos cum Turcis commercium; quod tamen non ſemper immo rarius ſuccedit, uti ex præfatione patet. Frigus enervat, calor, nec non aër putridus, præſertim nebulosus calidus humidus quiſcens præprimis auget miasma peſtilentiale; hinc creſcente anno peſtis invaleſcit, ut circa auctumnale æquinoctium acme attingat. a)

a) Sydenham l. c. Hodges l. c. Negare auſus eſt hoc Sydenhami commentum cel. Ruſſel l. c. contenden-

Surgente, inquam, anno, seu inter ver et æstatem autumnoque exoritur, rarior alia tempe-

---

do; pestem in urbe Aleppo durante hyeme mitiorem esse, vernali tempore vehementiorem et ad Iunium usque increscere, Iulio et Augusto ex parte miteſcere, mense Septembri et Octobri vix observari; adeoque, quod temperies aëris calida progressum pestis infringat; licet enim in principio æstus accedentis increscere videatur, post paucos tamen dies remittat. Hæc quæ de urbe Aleppo in Syria narrat *Russel* et *Timony* de Aegypto (Timony disc. sur l'inoculation de la petite Verole 1763. Vienne) in aliis Turciæ ditionibus, ut Smyrnæ, Constantinopoli, aliisque pariter contingere negant *Mackenzie* (in Phil. Trans. T. 47.) et Renzing; Sydenhamique observationes confirmant propriis in Turcia factis. Viderunt enim clarissimi viri pariter in Turcia, ut in aliis regionibus Europæ pestem multiplicari æstate progrediente, minui frigore accedente, quia æstate transpiratio major, adeoque resorbtio miasmatis pestilentialis facilior: dein, quia corpus æstu augente ad humorum dissolutionem pronius sit: pestis adeoque, minora impedimenta majoremque dispositionem pro assimilatione et fermentatione sui miasmatis in corpore humano inveniat. Concedit tamen clarissimus Renzing, pestem nonnunquam æstate calidissima mitiorem fuisse, (immo ex toto filuisse autumno, hyeme vel vere, quia pestis ibi eundem typum servat, uti variolæ ac febres putridæ epidemicæ apud nos,

ſtate ingreditur, aut tamen non multum debachatur.

§. 16.

Multum ſane intereſt, resque maximi momenti, accurate ſcire, in quo hæc corporis dispoſitio uniuerſalis, non minus ac partialis conſiſtat. Quæ varioloſa ſit, determinare doctorum nullus adhuc potuit. Veriſimilis eſt mihi conjectura in correptionis humorum quodam gradu, qui vero rurſus ex variis cauſis, pluribus vel minoribus contingere poteſt; maxime tamen ab äere, alimentis et immunditie.

Quantæ efficaciæ ſingularis quædam äeris qualitas in evolutione peſtis exiſtat, præcedenti-

---

quæ non ſemper (uti deberent ex principiis) æſtate fervente ſunt periculoſiſſimæ; verum nonnunquam pro diverſa aëris conſtitutione epidemica copioſiores et periculoſiores hyeme, autumno et vere; ſi nempe tempeſtas typum ſuum naturalem non ſervat, ſed æſtatis formam induit. Aër ille vero peſti æſtate adeo adverſus eſt ſiccus, conſtans. Multum illuſtratur idem ex decurſu epidemiæ a cel. Schreiber annotatæ l. c. p. 5. Anno 1787. menſe Febr. in pago Honigbach juxta Coronam urbem regnare incepit gravis febris putrida popularis cum purpura, miliaribus et petechiis; menſe Iunio ceſſavit ipſa ex toto.

bus paragraphis pluribus dixi. a) Quantæ ſit alimentorum penuria nemo neſcit, qui loimographorum omnium una fere voce eam maxime accuſantium ſcripta legerit. Hinc inde adeo frequens in Turcia ortus peſtis tempore bellorum, et in genere caritatis esculentorum. Non tamen in omni peſte alimentorum caritatem adfuiſſe his addere quoque debeo. In epidemia Tranſylvanica 1756 abundantia omnium fuit rerum; viciſſim 1786. ceſſavit plenarie in fine anni pe-

a) Non tamen cum experientia vera conſentiunt, quæ adducit cel. Paris de influxu aëris peſtilentialis in corpora humana. Contendit ille, quod incipiente et progrediente epidemia peſtilentiali in Turcia cicatrices hominum quondam bubonibus et carbunculis affectorum dolere incipiant; quodque hi dolores in relatione augeantur, quo vehementior fiat peſtis vel quo proprior quis accedat peſtifero. Experimenta ad explorandam hujus rei veritatem in epidemia Tranſylvanica 1786. inſtituta ſunt. Roſonii tres invèniebantur homines in ſeparatione peſtilentiali in domibus jam infectis, et Zeydæ, erat in nosocomio ægrorum cuſtos. Duo Roſonienſes quidem confirmabant, eos dolores interdum pati in cicatricibus, et hos dolores ante peſtem adhuc, tempore variabili pluvioſo eadem ratione ſenſiſſe, uti nunc in peſte: Zeydenſis vero de nullo dolore conqueſtus eſt, æque, et tertius Roſonienſis.

ſtis, quamvis esculentorum caritas a die in diem ad æſtatem usque ſequentis anni mirum in modum augeretur. Hic vero cœlum etiam peſtis extinctioni præter bonas ſeparationes ægrorum multum favit. A Novembri enim usque ad æſtatem anni ſequentis erat tempeſtas frigidiſſima, ſaniſſima. Febriles morbi hoc tempore graſſantes erant vere inflammatorii, cibique ex milio, frumento turcico et fagopyro parati, quibus his locis Valachi nutriuntur, anno 1786, licet cariores, tamen perfectiores erant fructibus anni 1785. præcedentis, in quo immatura omnia partim gangrænoſa erant; triticum ſolummodo anno 1786 erat corrugatum, parum nigrum ſeu uſtilagine correptum. a) An anno 1756. cibi perfecte ſani vel quadam qualitate nociua aperta vel oculta gaviſi fuerint, notum mihi non eſt: Experimentis igitur evincendum eſſet, an conjunctæ hæ duæ cauſæ primariæ in peſte ſemper adeſſe deberent, vel prior nonnuquam etiam absque altera ſufficeret.

Partialem diſpoſitionem ad peſtem (id quod valet de peſte ſporadica) absque concurſu cau-

---

a) immo in oppoſita Tranſylvaniæ parte ab internis hoſtibus devaſtata, eo anno jam major annonæ penuria erat, quam apud nos, nihilominus in ea hominibus immunibus manentibus.

ſarum univerſalium efficere poterunt; ſumma pauperies, cibi crudi parci, cubicula profunda humida fœtida, immundities, mœror, timor, evacuationes fortes, morbi prægreſſi graves, omnesque cauſæ corpus debilitantes et ſoluentes. Hæ jam enarratæ cauſæ ſi concurrant in hoc vel illo homine furente epidemice ipſa peſte, præter cauſas uniuerſales, promovere in iis et augere peſtem debent, eorumque evitatio præſervare hunc illumque a peſte forte poterunt.

Ex his principiis explicari quoque hic poteſt, quare pauci divitum et plures pauperes peſte corripiantur et necentur; quare magis immundities ſtudioſi quam mundi peſtis ſint candidati, et quare in homine impuritatibus, præſertim primarum viarum abundante, peſtis ſtatim ante foras eſt. Sunt tamea nonnulla corpora, quæ junctis multis cauſis prædisponentibus in domiciliis peſtiferorum ſana manent; robur magnum vel ideo ſyncraſiam ſingularem, nobis occultam, ibi accuſare debemus.

Cap. IV.

De Diviſione peſtis

§. 17.

Dicitur peſtis benigna et maligna, epidemica, ſporadica, endemia, translatitia, ſolitaria et complicata. Solitaria ſæpius eſt, complicatur tamen etiam (quod ex obſervationibus Cel. *Hodges*, præprimis ſolemne initio et fine peſtis erat) nonnunquam cum aliis morbis epidemicis, ut febribus catharhalibus malignis, lentis et hecticis, pleuritidibus, peripnevmoniis, miliaribus, purpura, lue venerea, ſcorbuto, eryſipelate, angina, cephalalgia, dyſenteria, gonorrhæa, quartana etc. Sola ſemper eſt viſa peſtis in epidemia Tranſylvanica anni 1786.

Dividitur etiam a nonnullis a ſymptomatibus concurrentibus in peſtem *in et externam*, in peſtem cum bubonibus et in illam cum carbunculis vel utrisque.

Cap. V.

De Decurſu peſtis in genere.

§. 18.

Peſtis non ſolum in variis regionibas, ſed et in una eademque regione diuerſis temporibus et pro diuerſa miasmatis peſtilentialis qualitate, ægrorum conſtitutione, aëre, ætate et vitæ genere, cauſis prægreſſis pluribus vel paucioribus, morborum complicatione et pro ſuo initio, progreſſu ac fine diuerſa oſtendit ſymptomata. Interdum eadem manet peſtis ſpecies, quæ fuit in initio. Interdum in aliam nunc mutatur; e. gr. inſtammatoria in putridam, vel putridam neruoſam. Quandoque, ſub larua aliorum morborum incipit, ut: pleuritidis, catharrhi, anginæ, colicæ, vomitus. Hinc præmittam generalem peſtis hiſtoriam ſpeciali. In hoc peſtifero autem præcedunt febri peſtilentiali cum ſuis ſymptomatibus nonnulli prodromi; in alio ſano repente accedit inſultus febrilis, præprimis poſt prægreſſas cauſas febrium generales. Prodromi communiaque peſtis ſymptomata ſunt: inſolita corporis inertia, gravitas, torpor, laſſitudo, amarities oris et Salivæ viscoſitas, ardores urinæ, unguen cutis

præprimis in facie et manibus ſuperabundans, dolores in partibus glandulosis et in musculis majoribus punctorii momentanei et inordinate redeuntes, aspectus triſtis, inedia, lumborum moleſtia, capitis gravedo, hebetudo, obtuſus dolor, vagi cutis ſuccuſſus, phlogoſes, ſomnolentia, febris typum intermittentis vel continue ſervans; a) poſtque aliquot horas vel diem unum alterumque, pruritus et dolores in locis, ubi bubones et carbunculi erupturi ſunt. Nominatorum horum ſymptomatum plura, vel pauciora, leviora vel graviora in hoc vel illo ægro obſervantur. Nonnulli enim tam leviter ægrotant, ut hunc morbum vix pro morbo habeant, et idcirco conſueta ſua munera peragant: adeſt levis et brevis horripilatio, calor fere naturalis ſuccedens, pulſus robore et velocitate ad naturalem accedens, facies naturalis, laſſitudo exigua, capitis gravitas ac dolor mitis, mentis non magna hebetudo, ſitis vix ulla, deſiderium ad cibos tantum fractum; quibus accedit ſecundo - tertio die bubo vel ſudor, interdum totam materiam morbi-

a) Longior, brevior in hoc vel illo hæc infectionis periodus eſt. In nonnullis per plures Septimanas quin immo protrahi eam author eſt Oræus p. 74. donec accedat febris manifeſta cum caterva malorum,

ficam circa quartum diem diſſipans, ut plurimum tamen circa ſeptimum diem totus morbus cedit.

In graviori morbo ſunt irregulares frigoris et caloris inſultus, inſignis præcordiorum anxietas, tam ante, quam poſt eruptionem materiæ malignæ ſemper præſens, nauſea, cardialgia vomituritiones, immo materiæ bilioſæ vomitus ipſi, tuſſis ſicca; dolores capitis, faucium, dorſi, lumborum et artuum; ſomnus et appetitus, mox ſomnolentia, alvus mox adſtricta, mox laxa, ſummus mœror, puſillanimitas ſine cauſa aperta, inſenſibilitas, ſtupiditas, ſubita virium omnium proſtratio, deliria in initio jam morbi, plerumque lenia, raro phrenitica, animi deliquia, calor magnus, acer, ſiccus, mœſtus, lacrimans aut ferox et turbidus vultus, in aliis oculi rubri errantes, ſcintillantes, loquela præceps: Pulſus inſigniter varians; nunc plenus durus, nunc parvus, mollis et vix percipiendus, ſæpe intermittens et præſertim debilis celer; lingua mox alba, mox alboflava, humida vel ſicca; a)

---

a) monere hac occaſione debeo, falſum eſſe, quod cel. Paris ſuo in libro ait: in eo latere, ubi bubo et carbunculus peſtilentialis prorumpere nititur, pulſum eſſe celeriorem ac plus intermittentem quam

reſpiratio ut plurimum naturalis, et urinæ quandoque ſanis ſimiles, ſæpius turbidæ, pingves, flocoſæ, albæ, rubræ, nigræ, cruentæ. His altero, tertio quartoque die accedunt dolores in regione inguinum, axillarum, colli; bubones ſoli vel cum carbunculis juncti, et remiſſio omnium ſymptomatum, niſi malum nimis urgeat. Remittunt maxime ſymptomata febrilia poſt eruptionem bubonis, præſertim benignioris, minus poſt carbunculi egreſſum, et minime petechiarum vel vibicum. b)

Acutiſſima peſtis eſt, ubi horror diu et valde perſeverat, quem nullus magnus calor ſitisque ſequitur, pulſus inæqualis, debilis celer fere vacuus, aurium tinitus et in nonnullis ſurditas,

---

altero; et in linguæ medietate jam primis diebus maculam violaceam videri cum duabus albis ſtriis in latere, quæ duo ſymptomata præter petechias peſtis ſigna ſtatuit. Experientiæ repugnat hoc commentum. Pulſum in peſte maxime variabilem cel. Paris in hunc errorem induxiſſe credo.

b) petechiæ hæ ſunt varii coloris et magnitudinis; aut purpureæ, fuscæ, roſæ, pallidæ, flavæ, virides, lividæ, nigræ; dein parvæ atque ſubrotundæ pulicum morſibus ſimiles; aut magnitudine lentis, piſi, groſſi, doachimici peripheria vidit Rivinus p. 5. Præterea emergunt petechiæ modo in una corporis parte, modo in alia, ſæpe in toto corpore.

vertigo, temulentia, vomitus materiæ ægruginoſæ, nigræ cruentæ, raucitas, ſternutatio, dolor cordis, pectoris cum tuſſi vehementi, ſingultus, tremor, balbuties, carus, ſudores ut plurimum in capite et pectore prorumpentes, extremitatibus eodem tempore frigentibus, reſpiratio laborioſa, modo frequens modo magna et rara ſuſpirioſa, miliaria, c) dyſenteriæ, motus convulſivi, petechiæ, hæmorrhagiæ, vibices puſtulæ exiguæ, albæ, lividæ, nigræ, anima et ſudor fætens, copioſus interdum uti anglicus, a) ſitis inextinguibilis, et magnus calor internus ægrum excrucians, externis ſignis non patens, qui multo major eſt, quam febris violentia; tandem plerumque, mors, quæ pro diuerſitate rerum conjunctarum diuerſa in variis eſſe ſolet. Hi enim, iique plurimi moriuntur phrenitide, ſopore, peripneumonia, vel alia inflammatione, plerumque cum anxietatibus magnis: alii tantum in vertigine, ſyncope, dolore capitis, aut de debilitate conquerentes, ſanæ rationis compotes, alii convulſionibus. Alii jam ægrotantes foras eunt, deinque nihilominus pereunt.

---

c) miliaria et quidem lethalia in pectore tantum viſa ſunt in unico ægro bubone et petechiis juncta in epidemia Tranſylvanica 1786.

a) de variis ſudoris coloribus vide cel. Hodges l. c.

Plurimum inter primum et quartum morbi diem moriuntur peſtiferi alii 5 - 6 die; ad ſeptimum vel undecimum diem productus morbus rarior eſt; nonnulli poſt viceſimum febre lenta pereunt; b) tumque, eorum cadavera (quorum facies tetra eſt) mollia flexibiliaque, manent, c) tam externe quam interne in viſceribus celerrime putrescunt, intumeſcunt et fœtent d) immo multa ſubviridi bruno nigro colore inficiuntur; præſertim ſupercilia, narium latera, digitorum ungues et labia oris plus livida et nigra, ac in aliis morbis vulgaribus inveniuntur.

In nonnullis, præter loca ſupra memorata, contingunt in peſte methaſtaſes ad pubem, aures, naſum oculos et ad ſummas manus ac pedes; ita ut ſquacelo hæ partes conſummantur; alli graviter decumbentes evadunt cum remanente oblivione omnium rerum, ſurditate aut amiſſione loquelæ. Viua taliam metaſtaſium imago habetur

---

b) Mackenzie l. c.

c) vidimus tamen in peſte Tranſylvanica 1786 etiam corpora poſt mortem rigida vera peſte necata.

d) Oræus p. 183 toties cadavera nullam mephitidem ſpargentia nec abdominis intumescentia adiſſe aſſerit. Ego vidi in peſte 1786 carbunculum in puero uti minime fœtentem.

in eleganti peſtis Atticæ deſcriptione a Thucydide compoſita; vide Hebenſtreit anthropologiam.

§. 19.

Cadauerum peſte defunctorum ſectio oſtendit inflammationes et gangrænas tam in - quam externas, ſanguinisque diſſolutionem uniuerſalem. In epidemia Tranſylvanica 1786 a chirurgis *Brun* et Göſſel in oppido Roſenau quatuor cadauera peſtifera menſe decembre diſſecta cultro ſunt: vir nempe 35. annor: femina 39. et duæ puellæ, quarum una octo, altera trium annorum fuit. In omnibus in venis ſanguis valde diſſolutus eſt inventus et bilis fellea brunoviridis caloris, non tamen in ſingulis manifeſta in viſceribus inflammationis vel gangrænæ veſtigia; a) nec bilis in omnibus fuit ſolito tenuior, verum in nonnullis conſiſtentiæ naturalis; veſicula fellea quoque, parum a bile exonerata erat.

Vir 35. annorum moriebatur jam altera morbi die cum bubone inguinali lateris ſiniſtri et multis petechiis nigris lenticularibus. In ſectione præter ſanguinem valde tenuem nihil præternatu-

a) Nec corporis externe ſuperficies læſa in omnibus his quatuor cadeveribus erat. In viro 35 et puella 8 annorum cutis erat viridis flava, in fœmina vero et

rale visum est, quamvis ante mortem enormes abdominis dolores conquestus erat æger.

Mulier in sextum mensem gravida periit quarto morbi die cum bubone subaxillari dextri lateris absque præcedenti abortu. Hepar in hac muliere valde erat friabile gangrænosum, pulmo itidem. Fœtus vero cum utero et aliis visceribus in statu naturali absque ullo pestis signo fuere; umbilicus solus infantis cum funiculo umbilicali erat niger.

In puella majori cum bubone subaxillari sinistro tertio morbi die necata nil præter naturale inventum est; in minori vero sexto tantum die cum parotide dextra exspirante intestina tenuia inflammata apparuere.

§. 20.

De Decursu pestis in specie.

Hæc de decursu pestis generali fuere. Secundum diuersitatem corporum singulorum et constitutionem, diuersa rursus in hoc vel illo

---

minori puella naturalis, glanduloſi tamen loci ubi residebant bubones in omnibus cadaveribus livescebant. Nec fœtebant multum cadavera post duas horas incisa.

ægro ſunt ſymptomata: hinc dividi debet peſtis,

1.) in *inflammatoriam.* In hac ſpecie calor magnus æqualis, ſitis ingens, cutis ſicca, urina ruffa, genæ rubentes, delirium ferox, pulſus plenus durus tenſus fortis, dolor capitis acutus, reſpiratio difficilis, gravitas omnium artuum, ſanguis inflammatorius, bubones inflammati dolentes rubri. a)

Indicatur hæc peſtis per bubones in ſuppurationem plerumque abeuntes, nonnunquam hæmorhagiis varii generis; et curatur antiphlogiſticis nec non venæ ſectione. b)

2) in *putridam*, quæ frequentiſſima eſt. In ea animadvertuntur præprimis ſubita virium proſtratio, calor interdum mordax pulſui non reſpondens, interdum paucus, tremor manuum, anxietates, pulſus debilis inæqualis, petechiæ, vibices, corpus ſubrubrum lividum puſtulis nigris efflorescens, facillimeque in gangrænam trans-

---

a) Sydenham l. c. Chicoinau l. c. p. 370. Chenot p. 63, 124. Mertens p. 101.

b) an huic peſtis ſpeciei ſcilicet inflammatoriæ, bubones ſolummodo proprii vel etiam authraces? recte quærit Cel. Selle in rudimentis pyretologiæ p. 159. negat authraces ille peſti melioris indolis adeſſe, cum ipſi plerumque putredinem bilis atque ſanguinis ſequantur.

euntes, lingua ſicca vel nigra, anima ſudorque fœtens, feces liquidæ fœtidæ, non raro nigerrimæ. b)

Potiſſimum regnat ea, ſi miasma peſtilentiale valde corroſiuum, aër uniuerſalis putridus et corpus ad putredinem diſpoſitum ſit.

3.) *Biloſam.* Eam deſignant ſigna colluviei bilioſæ, ut inſignis oris amaror, nauſea, cardialogia, vomitus bilis, lingua ſordida, arida, oculi flavi, hypochondrionum tenſio, diarrhea bilioſa fœtida.

Oritur plerumque autumno poſt fervidas æſtates, unde bilis acrimoniam contraxit. Sæpe tunc materia peſtis ſe ad *inteſtina deponit*, et diarrheas cum levamine excitat. c)

4) in *neruoſam.* In hac peſtis ſpecie maxima nervorum perturbatio invenitur. Calor valde mitis eſt, fere ut in ſanis, facies pallida, ſitis nulla aut pauca, pulſus mollis paruus celer inæqualis, lingua initio alba, dein rubra, ultimo nigra et ſicca. Aegri ſe leviter ægrotare putant,

b) Mackenzie Philos. trans. T. 54. p. 74. Thucydides l. c. p. 136. Rivinus p. 56. Chenot p. 64.

c) Foreſti opera omnia lib. VI. obſ. 12. Chenot p. 63. 146.

donec ſumma virium proſtratio eos ſubito obruit, calor, qui in morbo provectiori tactui plerumque naturalis apparet, interne urens eſt, urinæ crudæ aquoſæ, anxietates, vomitus æruginoſi atri cruenti, ſuſurrus aurium, facies mox pallida, mox ruffa, oculorum aspectus alienus, vertigo, temulentia, balbuties, tremor, ſtupor, abjectio animi, deliria mitia, animi deliquia, convulſiones et tandem mors ſuccedens ſæpe poſt aliquot horas vel dies absque manifeſta bubonum ac carbunculorum eruptione. Vid. cel. Chicoinau T. I. p. 37. 242. 224. 244. Chenot p. 66. Mertens p. 102.

§. 21.

De Peſtibus inter ſe complicatis

Harum in præcedenti §pho nominatarum peſtis ſpecierum pro diuerſitate rerum jungi ſolent in hoc vel illo ſubjecto plures vel pauciores, præcipuæ tales complicationes ſunt:

1. Peſtis *inflammatorio - biloſa*; in qua ſunt ſigna colluviei bilioſæ et diatheſeos phlogiſticæ, vid: Chenot p. 63. 146.

2.) *bilioſo - putrida*, cum colluvie bilioſa et humorum putredine.

3.) *inflammatorio - putrida* cum diatheſi

phlogiſtica, ſeu inflammatione quadam et diſſolutione ſanguinis.

4.) *bilioſo - nervoſa* cum colluvie bilioſa et ſymptomatibus nervoſis. vid: Chenot p. 61. 146. 166.

5.) *nervoſo - putrida*, quæ frequentiſſima et periculoſiſſima. In hac miasma peſtilentiale ſimul tam humores quam nervos afficit. Pulſus eſt celer contractus inæqualis, preſſa arteria evaneſcens, ſitis, nauſea, vomitus æruginoſi cruenti vel atri, æſtus interne urens, externe naturalem non ſuperans, ingens cephalalgia, facies mox pallida mox rubra, oculi torvi vagi, lingua initio alba dein nigra, deliria, hemorrhagiæ, vibices, bubonum et carbunculorum eruptio acrius dolentium nigrescentium, facillimeque in gangrænam transeuntium. Vid: Chicoinau T. 1. p. 38. 250. 318. Chenot p. 64.

Cap: VI.

De Aphorismis illuſtrantibus propoſitam peſtis hiſtoriam præcedentibus.

§. 22.

1.) Peculiaris morbus, qualis variolæ exiſtunt, eſt peſtis. Occurrit quoque uti variolæ

apud nos epidemice; (nisi in initio statim extinguatur morbus contagiosus) in terris turcicis vero interdum quoque sporadice.

2.) Nec variolæ contagio solum propagantur; alias in certo quodam loco semper existerent illæ; sed in hoc homine ex singulari quadam aëris, nobis incognita qualitate tantum, in alio simul quoque contagio. Eadem ratione se res habet quoque cum peste; prior tamen propagationis modus solentior in Turcia est, alter apud nos, ubi in plurimis epidemiis absque concurrente communicatione nemo afficitur peste.

3.) Dum pestis in certo oritur loco, se ea manifestat repentina plurium in eadem domo vel loco hominum morte; quæ vero uti et infectionis gradus diversa esse solet, pro diuersa nempe ratione anni temporum, aëris corporum constitutione, nec non causarum concurrentium.

4.) Nonnunquam pestis sui juris paucos tantum ferit et sponte extinguitur; quando nimirum, ut supra ostendi, præsens aëris constitutio non favet ejus propagationi.

5.) In pagis ex certa hominum quantitate pauciores quam in urbibus pereunt peste: plures etiam pauperes quam diuites.

6.) Ratio, cur hic homo facilius, difficilius, levius, gravius aliis, vel plane non afficia-

tur peſte, non ita quæri debet in ſingulari diſſerentia miasmatis peſtilentialis corpori applicati, quam potius in circumſtantiis conditionis corporis, in qua tunc temporis homo exiſtit; et præprimis in diuerſa corporis dispoſitione ſeu receptiuitate. Id quod in variolarum inſitione dudum eſt expertum.

7.) Peſte ſemper plures, vel ſaltem totidem moriuntur, quot evadunt. Hoc ultimum contingit hyeme. Initio peſtis pauci evadunt; circa finem plures ſanantur, quam pereunt: forte ideo, quia peſtis hyeme benignior eſt, pauciores æſtate invadit et plerumque hyeme ceſſat.

8.) Hyeme peſtis ſe non tam cito extendit, nec adeo populariter regnat, ut æſtate et autumni initio; habemus tamen etiam exempla peſtium hybernalium copioſarum.

9.) Ex determinato infectorum numero ut plurimum hyeme, et prope hyemem plures ſanantur, quam vere, tota æſtate, et ineunte autumno.

10.) Maxima morientium pars ſeptimum diem non attingit. Plurimi abeunt ad patres circa ſeptimum. Reconvaleſcentes contra diutius ſeptem diebus ut plurimum ægrotant.

11.) Omni quidem anni tempore finem attingere valet peſtis, rariſſime tamen ſponte ceſſat

æſtate, frequentiſſime hyeme vel maxime initio veris. Ita Iaſſii ceſſavit peſtis menſe Iunio, et in urbe Bender Iulio teſtante Oræo p. 19 et 62. 1713. ſiluit Auguſto et Septembri in nonnullis agris Vindobonenſis; item 1756. in epidemia Tranſylvanica in oppido Tartlau ineunte Octobri, qui ſat calidus, dum ſuburbium Coronenſe multa adhus funera videret, peſtis extincta eſt. Obſervatio tamen in Europa docuit, quod ſi vere aut æſtate inceſſerit, ibidem ſequente hyeme ceſſet, ſi vero eam autumnus vel hyems invexerit, longius plerumque protendatur. Ita duravit peſtis Noviomagenſis a *Diemerbræckio* deſcripta, per 16. menſes, ſeu a Novembri 1635 - ad Febr. 1637. usque, et Londinenſis a *Sydenhamo* delineata per annum, ſeu ab anno 1665 - 1666. Tranſylvanica 1718. per 18. menſes, ſ. a Iulio 1718. ad 1719. finem Decembris. Peſtis in Verania a Schreibero annotata per 9. menſes; in Aleppo (de qua ſcribit Ruſſel) per tres annos, ſeu ab anno 1742 - 44. Tranſylvanica 1756 per 16. menſes; et Moscovienſis per 14. menſes, ſeu a Novembri 1770. usque ad finem Decembris 1771. Tranſylvanica anni 1786. per 4. menſes.

12.) Rariſſima acutiſſimaque peſtis eſt illa, in qua nullum exanthema in corpore nec ante nec

poſt mortem percipi poteſt. In iis, qui ante ſextum vel ipſo ſexto die moriuntur, ante et poſt mortem animadvertuntur nigræ lenticulares petechiæ ſolæ vel junctæ bubonibus eo minoribus, quo minus temporis duraverit morbus. In peſte leviori adſunt petechiæ, carbunculi et bubones; inque leviſſima ſoli bubones. Gravior etiam cæteris paribus dicenda erit illa peſtis, ubi ægris aſſiſtentes intra breviſſimum tempus peſte corripiuntur et necantur; levior vero ubi illi tardius inficiuntur, neque omnes iugulantur. Prius vulgo contingit in vigore epidemiæ peſtilentialis.

13.) Peſte in aliquo loco furente ut plurimum abſunt vulgares alii morbi epidemici. a) Videtur, ac ſi omnem in illis locis exiſtentem materiam morboſam in præparationem miasmatis peſtilentialis convertiſſet natura. Præter peſtem enim tempore peſtilentiali nullus fere morbus animadvertitur. Ante et initio peſtis Tranſylvanicæ 1786. copioſi apud nos erant morbi febriles, e putridarum claſſe præſertim; creſcente

a) paulo aliter explicant aliqui autores hancce ſententiam. Thucydides enim et Diemerbroeck ait: *omnes morbi* et *febres* in *peſtem convertebantur* propter evolutionem miasmatis peſtilentialis in corpore præſentis per febrem; uniuerſalis vero hæc lex non eſt.

vero peſte evanuere in toto barcenſi circulo fere omnes; pauci ægrotarunt mortuique ſunt homines, iique plurimum ſenes debiles; ita ut hanc conſtitutionem peſtilentialem pro ſaniſſima, meliore ac multorum annorum præcedentium ſervare debuiſſem. Pro axiomate tamen omnium temporum antecedentibus dicta diuulgari non poſſunt. Varii autores celeberrimi mentionem injiciunt peſtium cum aliis morbis epidemicis complicatarum, præſertim in initio et fine ejus. *Mertens* (l. c. p. 186.) tempore peſtilentiali non tantum morbos ſporadicos, verum quoque epidemicus, ut morbillos, copioſe occurriſſe refert. *Paris* (l. c. p. 55.) cujuscunque generis morbos tempore peſtilentiali occurrere ſcribit, ſæpius cum peſte complicatos; *Ruſſel* (l. c.) variolas epidemicas tempore peſtilentiali vidit. In epidemia Tranſylvanica 1786 menſe Majo, Roſonii variolæ putridæ indolis ingreſſæ ſunt, manſerunt per totam epidemiam peſtilentialem, et durarunt adhuc poſt eam per multos menſes; in - et poſt peſtem vero benignæ fuerunt. In ſeparatione peſtilentiali, ſeu plateis peſte adfectis ab aliis ſeparatis per totum peſtis decurſum nemo tamen laboravit variolis.

14.) Quamvis ad propagandam peſtem cum contagio univerſales concurrere debent cauſæ: ta-

men præſentibus etiam iis magna vis contra peſtis propagationem in vera politia medica, rectoque regimine publico ſita eſt. Hoc enim probe obſervato exiſtentibus ad peſtem cauſis univerſalibus multis, (non dico omnibus) peſtis incipiens ſuffocari, popularis domari abbreviarique ante deletam epidemicam aëris conſtitutionem peſtilentialem poteſt. Hæc ſi vera, ut ut ſunt, concluſioni recte anſam dant, quod, ſi in quodam loco peſtis ſeſe multiplicet; in initio, vel decurſu ejus non ſatis acurata doctaque, adhibita fuerint auxilia.

Cap. VII.

De Prognoſi.

§. 23.

Sequitur, ut de quibusdam prognoſin ſpectantibus verba faciam. In genere huc applicari poſſunt omnia, quæ in febribus malignis quid boni vel mali protendunt.

Differt prognoſis ratione cauſarum concurrentium, genii epidemiæ, ſubjecti, gradus peſtis, numeri et vehementiæ ſymptomatum, corruptionis ſanguinis, qualitatis miasmatis peſtilentialis, loci, tempeſtatis, anni temporum, complicationis, dispoſitionis corporis et ætatis. Cum

itaque omnibus ægris peſtiferis ſymptomata communia non ſint: inſignis difficultas manet in præſagienda vita et morte; præſertim in morbo tam præcipiti fallaci ac inſidioſo, qualis eſt peſtis. Interdum enim ab initio morbus ægri vix gravis videtur, brevi tamen infelix ſuccedit mutatio; interdum ægri vix de anxietate præcordiorum conqueruntur, vomituque agitantur, quam ſubitanea morte extinguantur; interdum triſtia ſe offerunt ſymptomata, ſed brevi poſt ſanitati reſtituitur æger. a)

In univerſum peſtis junioribus magis quam ætate provectioribus; fœminis magis, quam viris, b) cholericis et ſanguineis magis quam

---

a) Ruſſel l. c. p. 229. Multi ſubito moriuntur de nihilo conquerentes, niſi de laſſitudine et virium proſtratione cum vel ſine petechiis, ſeque bene habere dicentes.

b) Daves l. c. Pauperes magis ditioribus, quia pauperes miſere vivunt, immundi et cachectici ſunt et plus contagio expoſiti quam diuites, qui bene edunt, bene bibunt, ſeque ab aliis ſeparatim domo includere poſſunt. Timidi quoque ſe male habent tempore peſtilentiali, quia transpiratio in eis minuitur; reſorptum in corpore retinetur; ſecretiones turbantur; nervi debilitantur et humores corrumpuntur. Robuſtos aliis facilius peſte corripi, ego

phlegmaticis, et melancholicis, tenuioris conditionis hominibus citius quam bene viuentibus; immundis magis quam puris, succis pravis præsertim in viis primis scatentibus magis quam perfecte sanis funesta esse solet. Aegrius etiam cœ-

---

mihi ita explico: quoniam illi sunt ex infima plebe causis uniuersalibus plus expositi quam diuites, qui plerumque sunt debiliores. Plus adhuc variare pestium epidemias diuersas in qualitate subjectorum corripiendorum edocent historiæ a Cel. Ringebroig (von der Pest T. I. p. 57) productæ; interdum enim in una epidemia magis aggreditur altera hoc vel illud hominum genus: hæc nempe adultos tantum, altera infantes, illa senes aut juvenes, sexum sequiorem; illa ut plurimum robustos, sexum potiorem; alia valetudinarios, puellas, viduas; alia in una eademque civitate unum præ altero populum afficit. Rosonii in peste Transylvanica 1786 soli Valachi peste sunt affecti parte oppidi exteriore vicini habitantes cum germanis, quorum nullus, excepto uno vespillone, qui pestiferorum vestes induens levi peste corripiebatur. Zeydæ etiam germani peste tangebantur, quorum omnes antea sani evaserunt, cachectici vel aliis morbis prægressis jam destructi perierunt. Et in pago Holbach duo vespillones germani, jam sexagenarii cachectici primis statim diebus, in quibus expositi erant, mortui sunt peste.

c) Chenot l. c. p. 43.

teris paribus podagrici, melancholici et hydropici peſte corripiuntur. a) Intelligenda vero priora ſunt in ortu tantum morbi: furente enim peſte ſine discrimine ullo omnes aggreditur ea. Moriuntur in furore peſtis fere omnes. Expectari a viribus naturæ et medicamentorum aliquid poteſt in mitiori tantum malo.

Indicatur iisdem criſibus peſtis, quæ ſolemnes ſunt febribus acutis, malignis in genere; potiſſimum vero ſudore critico et bubonibus. Acceſſoriæ criſes in peſte ſunt: vomitus, urina cocta, diarrheæ, menſium narium et hæmorrhoidum fluxus. b)

Bonum morbi exitum ſibi polliceri æger poteſt, qui viribus præditus quartum morbi diem viuit; tutiorem, qui ſeptimum, ſi ſimul in eo adſit levis et æqualis calor, lingua humida et naturalis caloris, pulſus conſtanter fortis, bubones et carbunculi cum levamine ægri, ceſſatione

---

a) Chenot l. c. p. 47. Mertens l. c. Phtyſin vero, ſcabiem, fontanellas, ulcera antiqua, quartanam et gonorrhæam contra peſtem non munire omnes oſtendunt. Schreiber l. c. p. 30. Chenot. p. 47. et Mertens in ægris cum iisdem morbis peſte extinctis. Multum tamen fonticulos ad ſanitatem conſervandam conferre poſſe, nemo inficias ire poteſt.

b) ſaliuationem ſalutarem vidit Hodges l. c. Sect. III.

nauſcæ et anxietatis nec non cum ſudore apparentes.

Veram et perfectam criſin a bubonibus exſpectare licet, ſi cito bubones cum aliis bonis ſignis; cum ſufficientibus ægri viribus et ſine febre magna erumpant; ſenſim mole augentur, dolent, rubent, ad ſuppurationem tendunt, aperiuntur, bonum pus fundunt, et ſi reliqua ſymptomata mitiora fiunt. Vulgare hoc poſt ſeptimum diem, nonnunquam ante ſeptimum rumpunt; rupti dein per 4 - 8 et plures dies pus fundunt. Valde autem mature cum malis ſignis erumpentes vel cunctanter prodeuntes, non levantes aut cum virium decremento retrocedentes bubones ſunt ſymptomatici et valde mali. Peſſimi item cum febre non magna mitique viribus proſtratis. Celeriter increſcentes magni et flaccidi et molles, ſeu nec inflammati nec dolentes bubones ſpem fallacem edunt. Malum, ſi fuſci venerei caloris; malum etiam, ſi buboni carbunculus inſedeat, non tamen lethale.

Bonum dein, ſi bubones rupti pus album craſſum leue æquale habeat; malum, ſi ichoroſum. Sciendum etiam eſt, perotides non adeo completam criſin perficere ac bubones inguinales vel ſubaxillares.

Carbunculi, principio morbi vel paulo poſt

in locis carnosis apparentes cum febre majori, viribus non valde prostratis non sunt omnino pessimi; periculosi vero, qui ab initio pel paulo post cum miti febre malisque signis apparent. Lethales sunt interni. In manuum pedumque digitis, prope tendinem Achillis, sub poplitibus, in mammarum peripheria, in cordis vicinitate, in facie, præsertim in oculo, naso, in collo, inque spina dorsi exitum portendunt, vel si multi erumpant, a) vel bubonum loco in glandulosis locis proveniant, vel bubonibus insideant. Tardius prodeuntes etiam mali, depressi et late serpentes difficillimi. Calamitosi etiam, qui in principio, dum erumpunt, subsident, recurrunt, in margine pallent et cinerei fiunt cum virium decremento; aut si sub bona separatione viui a mortuo subito exsiccant, inque fissura nullos amplius humores spargunt. Leviores sunt contra, qui intra duos tresue dies rubra probeque in-

---

a) indicat enim hoc vehementem morbi malignitatem, quæ eo magis ob inflammationem, dolorem et ardorem intolerabilem multiplicatur. In epidemia Transylvanica 1786 in ægro totum femur obsessum erat carbunculis in unam massam confluxis, ac si unicus esset. Incidit ille ob dolores in convulsiones et cito mortuus est.

flammata basi circumdantur, elevantur et suppurant bene.

Quo citius, quo plura, quo graviora conspiciuntur symptomata, quæ vulgarium morborum lethales exitus indicant: eo pejus res ægri peste infecti agitur. Ideo pestis complicata lethalior est solitaria.

Aegri, quibus usque ad quartum diem bubones et carbunculi non erumpunt, nec sudore leuantur, simulque magno calore et capitis dolore et somnolentia vexantur; moriuntur cum - vel sine petechiis die tertio - quinto. Abeunt etiam ad patres, quibus quidem provenere bubones et carbunculi, somnolentia vero, anxietates aliaque symptomata mala præcedentia remanent vel adhuc augentur iis egressis.

Vomitus et alui fluxus sine virium decremento, et petechiæ miliares quarto septimoque die apparentes nullum vitæ minantur periculum. Si vero vomitus post aliquot dies non cesset et perduret, malum est; indicat enim inflammationem vel in cerebro vel in ventriculo. Lethalis etiam alvi fluxus ex colliquatione humorum oriundus.

Calor nimius et mitis uterque malus; pejor si simul inæqualis, petechiæ latæ, nigræ ab initio conspicuæ lethales. Pessima species pete-

chiarum eſt, ſi color variegatus et luridus eſt. Serius apparentes vix exitiales, ſi ſub largiſſimo ſudore calido rubicundiores fiant; malum vero, ſi contra præcipue circa ullam febris præſenſionem erumpentes. Malum, ſi a ſudore pejus ſe habent ægri; malum ſi a ſudoriferis ſumtis nullus ſuccedat ſudor. Vibices plerumque ſunt lethales. a)

Subita et ingens virium proſtratio cum fatuitate et balbutie conjuncta necat, nec non deliria in principio morbi nata; anxietates citra inſignem febrem, aphtæ, palpitationes cordis, raucedo, vigiliæ, crebra animi deliquia, ſopores, ſternutationes frequentes, motus tremuli manuum, pedum et linguæ, ſubſultus tendinum, dolor in gutture ſine inflammatione, aphtis aut ſiccitate, icterus, lingua nigra, tuſſis reſpiratio in principio aut incremento morbi læſa, dolor in viſceribus quibuscunque, præſertim obtuſus et gravatiuus, ſingultus, oculi rubri, anhelitus fœtens.

Pulſus ſanorum fere ſimilis fallax et periculoſus eſt: intermittens vero lethalis. Item vomitus niger male olens, talesque alvi dejectiones.

---

a) fœmina tamen in cujus corpore fuere bubones, carbunculi et vibices convaluit in epidemia Coronenſi 1718.

Hæmorrhagia marium, menſes a) et hæmorrhoides initio corpora quædam plethorica levaſſe interdum obſervatum eſt. Poſt tertium, quartum diem vero periculoſa: præſertim parca narium ſtillicidia. Item dejectiones alvi cruentæ, hæmophtoſis, vomitus cruentus, mictus cruentus, fluxus menſtruus ſymptomaticus. Gravidæ abortum patiuntur ut plurimum omnes, et moriuntur hæmorrhagiis. In epidemia Tranſylvanica 1786 mortua mulier eſt in menſem gravida una cum fœtu absque abortu quarto morbi die.

Urinæ ſanorum ſimiles ſæpe lethales; etiamſi nulla alia ſymptomata gravia compareant: turbidæ malæ quidem, at non tam periculoſæ. Pingues, oleoſæ, nigræ, lividæ, canæ, fœtidæ hypoſtaſin nigram vel lividam habentes, aut unica die colore variantes plerumque pariter exitiales haberi debent.

---

a) menſes in morbi ſtatu et decremento accedentes ſalutares interdum fuiſſe in epidemia Tranſylvanica 1786. ſupra jam oſtendi.

SECTIO ALTERA

Pars practica doctrinæ de peſte.

CAP. I.

De Cura prophylactica.

§. 24.

Regno cuidam immînere peſtem, ſuſpiciendum eſt, ſi in vicinis regionibus eadem regnet. In quo periculo noſtræ regiones, quia vicinæ ſemper verſantur propter continuum cum eis commercium vel interdum bellum. Periculum eo magis pertimeſcendum erit, ſi, annonæ penuria, aër calidus ac humidus a) ſit, et graves febres putridæ epidemicæ in eodem regno decurrant; nec non, ſi urbs quædam populoſa a longo jam tempore a militibus incluſa rebus ad victum ſumme neceſſariis indigeat. Avertendæ itaque peſtis ad nos propagationis cauſa ex benigniſſima Principium noſtrorum providentia ob endemium in terris turcicis morbum continuæ adornatæ ſunt in finibus noſtris excubiæ juxta lineas,

a) præſertim ſi hyems contra naturalem curſum ſit nimis calida.

mercium et hominum exploratio, eorumque reservatio in ædibus aptis per aliquot tempus; quod cel. Rosenstein ad 15-20. dies restringi vult; experientiam enim provocat, quod non ultra septem dies delituisset venenum pestilentiale in corpore humano. Merces aëri exponunrur et ita dein, quantum licet, purificatæ (nam ex toto impossibile uti etiam experientia docet) infectæ et non infectæ ad nos et alias regiones transferuntur. Nihilominus per vias occultas Valachi pestem in nostras terras ex regionibus turcicis sæpe attulisse constat, cujus rei jam supra in præfatione mentionem feci.

Intrasse ipsam pestem in regiones nostras cogitandum est; si in aliquo loco inter easdem ædes multi subito morbo corripiantur, plures pereant et quidem plerique ante finem diei quarti; alii quoque, qui ægros adierint, afficiantur: præsertim si bubones et carbunculi prorumpant. Cognitis his distinctis pestis characteribus, si quis tamen de pestis adhuc præsentia dubitare vellet, suadent autores, ut malefici apud infectos domicilio per aliquod tempus includantur, eorumque vestibus involvantur; contagium pestilentiale non diu certe manebit occultum in ipsis.

De exiſtentia peſtis certis nunc factis, ut ſiſtatur ulterior propagatio omnis opera navanda eſt. Hinc ſanis ditioribus ſuadeatur fuga in alias regiones, pagos, bona; a) hæc enim optima prophylaxis. Inter reliquos in eodem loco manſuros omne commercium cum loco infecto, ſeu urbs ſeu pagus fuerit, præſertim cum domiciliis infectis tollatur; non minus etiam cum ſuspectis evitetur; hinc 1.) ſuspecti transportentur extra urbem in domos publicas, et infecti in noſocomia, non vero ampla, ſed ex ſingulis contubernaculis inſtructa. b) Suspecti utantur diaphoreticis,

a) bona montoſa præprimis laudantur ab autoribus. Quantum valeat aër purus contra peſtem egregie enucleat cel. *Strack* in eleganti libro de febribus intermittentibus p. 23. dicens: graſſante quondam peſte in agro Moguntino illa pars urbis, quæ in colle ſita eſt, qua via meridiem verſus itur, expers manſit peſtis ob aëris ſalubritatem, non vero humilis civitatis pars.

b) egregium tale noſocomium exſtructum erat in peſte Tranſylvanica 1786 in campo juxta oppidum Roſenau, cujus magna utilitas in peſte domanda aperte patuit. Exſtructum illud erat in 4. partes ſeparatas, quarum una cum variis domiciliis deſtinata erat pro ægrotis, altera pro reconvaleſcentibus, tertia pro ſuspectis et quarta pro ſanis. Nec vitia alias recte in noſocomia peſtilentialia cadentia hic accuſari ullo modo pote-

fero lactis vinoſo, et balneis, et ſi per 7. dies ſani manſerint induant veſtes mundatas et abeant ex noſocomio. Reconvaleſcentes a peſte itidem aceto abluendi, novisque veſtibus veſtiendi, antequam inter ſanos exeant. Infectorum res infectæ purificentur aëre libero, igne, ſuffitu, ſulphure et lotione cum aqua et aceto; c) domicilia eorum pariter. Non manibus vero apprehendere res infectas ſuadet ſeruis *cel. Mertens*, ſed forcipibus, quia alias facile ipſi infici poſſent.

2.) Munditiæ publica et privata cum renovatione aëris in domibus recommendetur, terrores pannici ſupprimantur, cadauera absque rumore noctu extra urbem ſepeliantur et annonæ penuriæ præcaveatur. Separationes enim locorum peſtilentialium manente penuria plus peſtem augent, quam minuunt; ipſæ enim impedito commercio paupertatem augent, atque ex ea graves morbi putridi ſuccedunt; inde factum eſt,

---

rant. Optima enim et manſuetiſſima ægrorum cura non averſationem erga ea in ægrotis, ſed potius laudes erga bonos curatores excitarunt.

c) inter hæc eminet ignis et aqua; nempe lintea, quæque inde parata ſunt, tuto lavari et dein ſiccari poſſunt, veſtes vero præprimis pelliceæ comburi tutius debent.

quod ſparſim de multis legitur peſtilentiis, plures fame, quam vera peſte periiſſe.

3.) Cœterum omnes conventus publici tollantur et unusquisque ſe includat in domiciliis ſuis. Ergo immediatum contactum inter ſanos et ægrotos evitet omnis homo.

4. Medici, clerici, iique, qui ægros adire debent, eos ne adeant ante jentaculum, nec ſub jactura virium, nec ſudantes. Suadet priori ſcopo cel. *Roſenſtein* panem biscoctum aceto vini intinctum vel panem butiro obductum ruta commixta. Diſſuadent alii in publicum exire niſi ſaltem poſt duas a ſolis exortu horas. Neque inutile mihi videtur conſilium nonnullorum autorum; quo commendant veſtes ex ſerico vel lana ſubtili, vel ex corio tenui cum levi ſuperficie; aut ſuper veſtes pallium ex tela piceata factum aceto ſæpius abluendum; ſimilesque chirothecas et ocreas. Præterea induſia ſapone lavari non debent; ſed aceti vapore madefieri, et veſtes ſulphuris fumo in aëre libero ſubinde imbui. Sanus manſit chirurgus in epidemia Coronenſi 1718. qui maſticavit radicem Zedoariæ et fumavit veſtes ſæpe ſulphure. Idem felici ſucceſſu fecere omnes chirurgi in epidemia Tranſylvanica 1786. Solemne medicis Conſtantinopolitanis eſt, antequam ægros viſitent, tempora, nares, re-

gionem cordis omnesque articulationes bono fricare aceto. Denique commercium cum ægris quantum licet evitent medici; hinc si conveniendus æger est, non nimis prope ad illum accedat, nec faciem illi admoveat: retinendus vero est spiritus, si cominus eum investigandi opus est, et mox postea olfaciendum vel pannis vel spongia aceto madefacta ante os servandus; salivam ne deglutiant et domi reversi vestes exuant, mutent et ne ingerant quid, antequam os pauxillo aceti colluerint. Abstineant igitur ægrorum curam habentes ab omni cibo potuque in ægri conclavi.

5.) An remedium prophylacticum aduersus pestis contagium in rerum natura existat, a longo jam tempore quæsitum est. Post multas factas observationes jam aperte patet, nos eo adhuc carere. Et quæso, quomodo invenies specificum aduersus pestem cuique conveniens; quum status corporis adeo diuersus in omnibus sit, ut idem remedium omnibus applicatum plane non conueniat, verum nocere debeat; immo in una eademque epidemia unius ejusdemque hominis status mutari per diuersas causas accidentales potest: e. gr. diætam, anni tempora, tempestatem variam. Patet hinc, quam nociua ab omni æuo laudata alexipharmaca quam plurimis hominibus

fuerint. Unicus cortex peruvianus, acetum et ſuccus citri mihi remedia eſſe videntur, a quibus in plurimis hominibus plurimum exſpectari poterit. Mecum conſentiunt de eo optimi medici; præter alios *Ruſſel* extracti vel infuſi aquoſi forma corticem peruvianum utilem ſentit, et nuper eum ſuadet cel. *Cullen a*) cum camphora. Quum enim peſtis ſymptomata et veriſimiles cauſæ humorum putredinem et neruorum perturbationem ut plurimum inuolvant; huic corporis ſtatui ipſum obviam ire, morbumque leviorem facere, ſeu corpus aliquammodo munire ad non vel minus ſuſcipiendum contagium poterit. Rad. cort. peruv. ſpirituoſæ mane ſumptum optimum erit medicamentum prophylacticum.

Optimum cœterum prophylacticum eſt fiducia animique conſtantia, res domi non anguſta, vita ſobria, mundities, victus temperans acidus, modicus vini uſus, fonticuli, ſetacea, corpus ſanum, et ſi impurum ejus emendatio pro ſingulari ſuo ſtatu vitioſo quantum licet; maſticatoria et fumus tabacci, quod cum aliqua quantitate

---

a) Ruſſel l. c. Cullen Anfangs-Gründe der practiſchen Arzney-Wiſſenſchaft T. II. p 25. Chicoinau omni mane ſuadet 3 - 4 grana Camphoræ ſumenda, alii cochlear aceti.

pulveris baccarum juneperi vel corticis cascarillæ miſceri poteſt. Plethoricus ergo interdum pro neceſſitate ſecet venam; bilioſus ſumat vomitoria, ſalia et purgantia; debilis humoresque pravos habens utatur cortice peruviano cum antitepticis. Fuſius de hac materia locutus ſum in libello, cujus titulus eſt: Ueber die Lebensordnung zur Zeit epidemiſch graſſierender Faul-Fieber und beſonders der Peſt. Herrmſt. 1786.

Cap. II.

De Cura peſtis radicali.

§. 25.

Ex iis quæ §pho præcedenti dicta ſunt, jam facile patebit, quid de medicina ſpecifica præſente ipſa peſte, quæ miasma in corpus humanum receptum vi quadam peculiari iners reddere vel deſtruere valeat, vere ſentiendum, et an vere quædam talis laudanda fuerit? Ingenue fateri debeo, me neſcire ullám, nec empiricam nec methodicam. Indocti analogon ſpecificum, ut cortex peruvianus in febribus eſt, invenire non potuerunt. et docti non valuere ex principiis medicis eruere medicamentum, quod corruptionem humorum incipientem tam cito avertere et natam

emendare valeat, uti miasma peſtilentiale eandem corpori humano inducit. An in eo lateat cauſa lethalitatis tantæ peſtis neſcio, quod huc usque medici peſtiferis aſſistentes nimis timidi et nimis parci in medicamentorum doſibus fuere; vel quia in materia medica hodierna nullum adhuc medicamentum ſatis actuoſum contra hoſtem adeo præcipitem cognitum eſt. Contra variolas nullum adhuc exſtat ſpecificum, cum tamen morbus minus periculoſus et miasma varioloſum minus ſubtile ſit peſtilentiali; quæ pauca ſpes refulget ergo pro ſpecifico antipeſtilentiali?

Deficiente itaque ſpecifico ſecundum analogiam ſtatum corporis et ſymptomata, uti in variolis, aggredi peſtem debemus: attendendo ad molimina naturæ, ut ea non turbemus, ſed eis ſuccurramus, ut quo citius expellatur miasma peſtilentiale ex corpore humano; quod fit in peſte, vel plenaria expulſione per ſudores, vel depoſitione per bubones et carbunculos ſimulque ſudore: id efficies, ſi vires nimis intenſæ erunt (quod vero raro fit) eas ſoluendo; ſi vero debilitatæ ex diſſolutione ſanguinis putrida vel ex ſtatu laxo aquoſo, eas erigendo roborantibus antiſepticis nervinis; (quæ quidem indicatio frequentiſſima) ſi bilis turgens corpus turbet, eam eji-

ciendo. De ſingulis his peſtis ſpeciebus earumque cura fuſius quædam dicam; adeoque

1. *Cura peſtis inflammatoriæ.*

Multum inter optimos autores disputatum eſt, an in peſte ſecari poſſit et debeat vena? Occurrunt exempla non pauca ſalubriter initio miſſi ſanguinis. Viciſſim autem non deſunt plura infelicia exempla. Hinc acurate determinandum erit, in quo caſu tuto ſuſcipi poſſit venæſectio. Hoc jam aperte patet, peſtilentiæ ſolius cauſa venam non eſſe aperiendam, ſed ſolummodo præſente plethora; ne nimius humorum motus miasmatis excretionem et abſceſſuum maturationem impediat. Quare in plethorico corpore, ubi febris major eſt malignitate, initio morbi, ante tumorum eruptionem a) et præſertim, ſi diæta æſtuoſa preceſſerit, æger ætatis vegetæ ſit, ubi pulſus plenus, tenſus, fortis, dolor acutus capitis; ſi æger ab initio ſtatim in ſoporem incidat, deliret, reſpirationem difficilem pleuritici

a) nonnunquam tamen bubonibus eruptis modica ſaltem ſanguinis miſſione opus eſſe ait cel. *Mead*, nimirum, ſi forte materia ultra modum turgeat, et nimis urgeat calor; hoc enim prudenter facto abſceſſus ad maturitatem produci. Caſus iſte tamen rariſſimus erit, uti theoria peſtis docet.

vel peripneumonici aliquid habeat, metusque adsit futuræ pleuritidis aut phrenitidis, sanguinem omnino mittere vel saltim scarificare licebit in ea quantitate habita ratione virium ægri. b) In genere sub iisdem conditionibus sangvis mitti potest in peste uti in altero stadio febrium putridarum regulæ traduntur.

Absente plethora et in progressu morbi, inprimis post quamlibet materiæ malignæ eruptionem æque pernicioſa est venæsectio, ac alvi aut alia quævis evacuatio. c)

Ingens post venæsectionem remedium est emeticum ex ipecacuanha initio morbi exhibitum, si æger facile vomet, vires habeat, vel, ut sæpe fit, si inter prandium cœnamque pestilentiæ prodromos sentiat, adlatumque forte a quodam halans contagium cum cibo vel saliva deglutiverit, vomitibus se prodens. a) Adnotavit cel. *Albrich* memorabiles casus ex epidemia Coronensi 1718, in quibus post emetica statim propinata et postea data levia sudorifera morbus initio supprimebatur et plenaria curatio succedebat. Emetico hæ-

---

b) *Sydenham* l. c. p. 75. *Chenot* p. 129. *Mertens* p. 137.

c) *Mackenzie* l. c.

a) Mead l. c. Schreiber l. c. Mackenzie in Philos. trans. T. 54. Mertens p. 136. Ferro l. c. p. 77.

rens in ventriculo miasma peſtilentiale eliminare et transpirationem promovere, atque reſidui quantitatem aliquam ejicere poſſumus; adeoque ſi aon penitus ſufflamminant peſtem emetica, eam tamen minuunt, levantque. Inde *Diemerbroeck* annotavit, eos, qui initio vomuiſſent ſponte, mitiorem tuliſſe morbum et quosdam bubonibus et carbunculis caruiſſe. Autor epiſtolæ apud *cel. Ferro* Conſtantinopoli emetico quoque, initio morbi exhibito ſubito morbo finem factum eſſe refert.

Nocent vero emetica ſerius data in peſte ex ſola infectione per contactum orta, inque vomitu conſenſuali.

Reliqua materiæ peſtilentialis pars in ſanguine exiſtens quanto citius expelli ſtudeatur ſudore leni in lecto; non tincturis et eſſentiis bezoardicis, verum iis, quæ temperant, diluunt et materiam ſudori aptam præſtant, ſimulque ob conjunctum acidum corporis putredinem inhibent. Qualia ſunt: decoctum hordei, florum ſcabioſæ cum aceto et melle, ſucco citri, cremore ſambuci, tartari, roob ſambuci, nitro, antimonio diaphoretico, camphora, ſerum lactis; emulſiones camphoratæ, decocta cardiaca cum ſucco berberum.

2.) *Medela peſtis bilioſæ.*

Præcipua in hac remedia ſunt evacuantia et

diaphoretica, interdum dein antiſeptica roborantia.

Evacuantium claſſem abſolvunt emetica, purgantia et clysmata. Conveniunt emetica initio morbi, ſeu die prima data, tam, ut ſupra dixi, ad venenum peſtilentiale ex ventriculo ejiciendum, quam ad materiam bilioſam turgentem eliminandam. Si vero nec plenitudo ventriculi, nec ſuſpicio deglutiti contagii, ſeu cum cibo ſeu cum ſaliua, in clauſo præſertim conclavi, ubi æger alius peſtiferus decumbit, immo inflammatio ventriculi, vel alius viſceris adſit: in progreſſu morbi viribusque proſtratis prudenter abſtinebis ab emetico.

Ab alvum ducentibus etiam remediis ſerio diſſuadent autores optimi; atque a leniſſimis diarrhæas lethales cum animi deliquiis ſe obſervaſſe memorant. Interim, ubi plenitudo ventriculi, diuturna alvi obſtructio, murmurationes ventris, meteoriſmus, dolores in lumbis, ſaburraque inteſtinorum adeſt; clysmatum uſui locum adeſſe quis prudens medicus negabit? Quanti tamen emolumenti in peſte bilioſa ſint purgantia, non ſatis laudare poteſt cel. Paris l. c. p. 36.

Evacuata primarum viarum ſaburra de promovenda transpiratione remediis in paragrapho præcedenti laudatis cogitandum eſt; ſique dein

vires frangantur vel fractæ jam sint, eæ sunt erigendæ, nervinis roborantibus sine mora præscriptis simul, quæ continuari in omni peste tam diu debent, donec omnis plane cessauerit febris.

3.) *Curatio pestis putridæ.*

Cum in pestilentiis putridis adsit dissolutio sanguinis putrida viriumque languor: removenda ergo sunt omnia debilitantia: ut, venæsectiones, purgantia; et præter emetica solummodo ordinanda talia, quæ putredini resistunt; debilitatem tollunt et roborante, excitante, calefaciente et stimulante vi gaudent. Talia sunt cortex peruianus, a) camphora, spiritus vitrioli, succus citri, acetum, flores arnicæ, rad. arnicæ, valeriana silvestris, alumen, terra japonica, folia rutæ, scordii, cortices aurantiorum, radix serpentariæ virginianæ, angelicæ, contrayervæ, myrtha, flores sulphuris, flores chamomillæ, acetum rutæ, florum calendulæ, rosarum, camphoratum,

a) Mackenzie l. c. Mertens l. c. p. 130. Chenot. Felici succesfu corticem peruvianum quoque præscripsit aliquot ægris cel. Renzing, additis tamen corticibus granatorum, qui ultimi in Turcia a medicis græcis frequentissime in peste ordinantur infuso aquoso vel forma electuarii, dum pulvis eorum cum succo expresso seminum 5. nucleorum granatorum et syrupo aliquo miscetur.

bezoardicum, Mynſichti, prophylacticum, juniperinum, vinum, mulſum et veſicantia. Vibices aceto frigido fomentandæ.

4.) *Methodus medendæ febris nervoſæ.*

In periculoſa hac peſtis ſpecie attentio potiſſimum ad nervorum perturbationem eſt dirigenda. Præſcribenda ſunt remedia, quæ in nervina ſedante gaudent, ut moſchus, camphora, radix valerianæ ſilveſtris, infuſum corticis peruviani, florum arnicæ, ſerpentariæ virginianæ, belladonna, radix leviſtici, imperatoriæ, mixtura ſimplex, liquor c. c. ſucc. Spiritus c. c. aceto, vel ſpiritu vitrioli ſaturatus, elixir. vitrioli, vinum, mulſum, theriaca, Kermes mineralis, tartarus emeticus refracta doſi; a) flores chamomillæ, crocus, cortices aurantiorum, herba menthæ, meliſſæ, tinctura bezoardicæ et præprimis tinctura corticis peruviani, alexipharmaca *huxami*; nec non veſicantia.

Cæterum removeantur omnia, quæ nervis inimica ſunt: ut, venæſectio, purgantia. Non

---

a) tartarum emeticum in initio ut emeticum, dein doſi refracta cum antimonio diaphoretico laudat *Hartmann* in ſuis Aphorismis de tartaro emetico et *Cullen* cum ſale amoniaco, opio et cortice peruviano.

ſpernendum vero hic pariter emeticum in caſibus ſupra laudatis.

5.) *Cura peſtium complicatarum.*

Ex antecedentibus patet, nonnunquam harum nominatarum peſtis ſpecierum concurrere aliquas in eodem ſubjecto, peſtesque conſtituere complicatas. Complicata in eis pariter medela eſſe debet, quæ vero facile ex antedictis erui poterit. Peſtis itaque

1.) *inflammatorio - bilioſa* curatur emeticis et temperantibus.

2) *bilioſo - putrida* ſanatur emeticis et antiſepticis.

3.) *inflammatorio - putrida*, temperantibus cum antiſepticis.

4) *bilioſo - nervoſa*, emeticis et nervinis.

5) *nervoſo - putrida*, antiſepticis et nervinis

Si quædam harum præcedentibus nominatarum peſtis complicata fuerit cum alio morbo, e. gr. febrili: qualis eſt febris lenta hectica vel phtyſica, reſpiciendum eſt ad febris genium, remediaque ei adaptata præſcribenda ſunt, uti ex præmiſſis elucebit. Si vero peſtis cum febre intermittente juncta ſit, ſanari debet illa, evacuantibus ſeu emeticis, purgantibus et cortice peruviano. Si morbus cum peſte præſens non ſe-

lurilis, tunc ad ſolam peſtem reſpiciendum, et ea ſublata de ſanando eo tantum cogitandum erit.

§. 26.

Non vero præcedenti §pho omnia peſtis curam concernentia comprehendi poſſunt. Pro præcipuis morbis ſymptomaticis tollendis vel leniendis præcipua rurſus adhibenda ſunt remedia. Ita, ſi æger deliret cum pulſu forti et oculis rubicundis, ſcarifica nucham, vel applica capiti hirudines et pedibus ſynapismos, præſcribendo ſimul acida, corticem peruv. et camphoram cum nitro. Si vero pulſu debili et facie pallida deliret; applica veſicantia, pedibus fomentationes Pringlii ex aqua et aceto cum pannis laneis, et interne da corticem peruv. moſchum, vinum, camphoram. Eadem remedia oppones commati.

Egregie conveniunt contra ſyncopen ſitus horizontalis, vinum ſpir. nitr: dulcis et roborantia; nec non ad nares acetum et ſpirituoſa.

Contra ſubſultus tendinum, tremores, convulſiones; moſchus, camphora, ſpiritus cornu cerui, veſicantia. Contra vermes: radix valerianæ ſylveſtris.

Vomitus ex ſaburra primarum viarum curatur: ippecacuanha; ea abſente, ſi nulla viſcerum

inflammatio adsit, theriaca cum aceto et campho-ra, aut antimetico Riverii.

Anxietates levabis: si ex saburra primarum viarum, emetico; si ab ataxia, stimulantibus; si ex animi pathematibus, paregoricis; si ex plethora, venæsectione.

Ardor stomachi; si ex bile oriundus, poscit emeticum; si ex inflammatione, antiphlogistica; si a veneno pestilentiali, cardiaca nervina.

Hæmorrhagiæ sunt sistendæ alumine, terra japonica, vino rubro, cortice peruviano, spiritu vitrioli.

Sudores excessivi poscunt regimen temperatum, corticem peruvianum, spiritum vitrioli, alumen, salviam, vinum rubrum.

Diarrhœæ si moderatæ levantes sibi relinquendæ; si colliquativæ, sistendæ spiritu vitrioli, rad. arnicæ, cort. cascarillæ, peruv. simaruba, terra japonica, elect. diascord. Gangræna in aliqua parte oriens curatur methodo chirurgica, et scabies reconvalescentes vel etiam restitutos a peste infestans, alvum laxantibus remediis: purgans in genere cuique peste affecto post superatum morbum dari potest.

Cap. III.

De Therapia Bubonum et Carbunculorum.

§. 27.

Supereſt, ut addam quædam de bubonum et carbunculorum therapia. Ex iis, quæ in præcedentibus de criſi per bubones dixi, facile elucebit ejus medela, promotio nempe ſuppurationis in iisdem. Hic attingitur ſcopus cataplaſmate ex ſpeciebus emollientibus, ſi multum inflammati fuerint bubones: ſi vero parum dolorifici et inflammati, metusque adſit retroceſſionis, figi et inflammari debent ſpeciebus emollientibus additis cepis aſſatis, fermento panis, unguento digeſtivo ℥ gummi ammoniaco aceto ſoluto, emplaſtro diachylo compoſito, unguento baſiliconis, balſ. Arcæi ſpiritu ſal. ammon. ornato vel etiam cantharidibus, pulvere ſeminis ſynapi vel cucurbitulis ſiccis, non omiſſis pariter internis ſudoriferis nervinis. Bene dein ſuppurati, ſi ſponte non rumpantur, aperiantur cultro, et ſanentur lege artis.

Carbunculorum medela eſt, ut emolliantur, aperiantur, ſeparentur a reliqua parte ſana, et ſphacelus præcaveatur. Id optime peragitur ca-

taplasmate ex ſpeciebus emollientibus cum antiſepticis, ut ſeminibus lini, floribus chamomillæ, mica panis, pulvere corticis peruviani et aceto. Addere iis vero ſimul poteris fermentum panis, theriacam, cepam, ſcordium, rutam, ſi carbunculus flaccidus minimeque dolorificus fuerit. Aperto carbunculo adplica corticem peruvianum, myrrham, camphoram, et ſana eum ſecundum chirurgiæ regulas. Interne quoque negligendus cortex peruvianus non eſt. Mira præſtitit in epidemia Tranſylvanica 1786 in carbunculis interne cortex peruvianus cum camphora et ſpiritu vitrioli, et externe cort. peruv. cum camphora et unguento digeſtivo. In initio ſæpe discutere fomentum ex aceto frigidiusculo carbunculum autor eſt *Oræus*.

Egregium quoque remedium in carbunculis eſt camphora in ſpiritu vini ſoluta cum unguento de ſtyrace, mucilago camphorata, nec non balſamus adſtringens Richardi, cujus ſequens eſt compoſitio. Nempe oleo therabinthinæ et vitrioli circa ad ʒß bene interſe mixtis, donec effervescant, adduntur tres unciæ ſpiritus vini rectif. quibus inſuper adjicitur mellis unc. II. *Oræus* multum laudat unguentum digeſt. cum ſal. ammon. ſolo vel myrrha conjuncto.

Carbunculus ſiccus aliquoties de die ſpiritu vitrioli eſt madendus, donec caro putrida excidat. Ea ſuperata ulcus balſamo peruviano ſanetur.

Cap. IV.

De Diæta in Peſte.

§. 28.

Quæ circa ſanorum regimen tempore peſtilentiali monenda ſunt, ex iis, quæ in capite de cura prophylactica dixi, facile intelligi poſſunt. Inprimis recommendanda ſunt acida, animi tranquillitas, vita ſobria, levis repetita exercitatio corporis, mundities, aër liber purus, a) balnea frigida, cubiculorum aëris frequens renovatio vapore aceti camphorati, acidi ſalis, fumo ligni et baccarum juniperi, ligni pinus, pulveris pyrii, ſulphuris. Somnus et vigiliæ nec extendendæ, nec minuendæ ſunt, catharſes et venæſectiones, ſi conſuetudo et neceſſitas urgeat, adminiſtrari poſſunt, cautus tamen eorum uſus eſſe

a) Nocet hinc copia multorum hominum vel animalium in eodem domicilio habitantium ob exhalationes putredinem promoventes.

debet. Vitanda e contrario omnis exercitatio corporis nimia, exceſſus in coitu, balnea calida, omniaque corpus debilitantia: hæc enim disponunt ad contagium ſuſcipiendum. Vitanda pariter ſunt omnia cruda, farinacea, oleracea, lardum, caro ſuilla, caro ſalita et fumo indurata, piſces ſaliti, allium, cepa, abuſus ſpiritus vini a) cubicula calida, frigus, calor, libido, animi commotiones fortiores, terror, et ira; periculoſior enim peſtis poſt iram ingentem et terrorem exorta.

Hæ omnes eo redeunt regulæ, in toto vitæ regimine eo ſtudendum eſſe, ut bonus ſuccus, boni humores in corpore humano præparentur. Quare conveniens erit alimenta, ab ultimo anno ſeu tempore, a quo morbi epidemici orti ſunt, collecta, ut frumentum, vinum, &c. ſi ullum

---

a) Spiritum vini immoderate hauſtum contra peſtem non munire, verum adhuc ad eam disponere, docuere nos varia veſpilonum exempla in epidemia Tranſylvanica 1786: omnes enim fere ii ſemper ebrii moriebantur peſte, quum chirurgi rerumque infectarum purgarotes, qui omnes Germani erant et modice vivebant, a peſte immunes manſerunt, quamvis eadem ratione infectioni expoſiti erant ut veſpilones: quinimmo vinum peſtem ſæpe promovere auctor eſt Sydenham l. c. p. 68.

in eis vitium detegi poteſt, ut immaturitas, gangræna &c. quantum licet, intacta manere, in uſus chemicos convertere, et ex annis præcedentibus ſalubrioribus alimenta ſana procurare; prioribus enim demonſtravi, quid valeant in producenda et propaganda peſte alimenta aperte vel occulte corrupta.

Ipſa vero peſte affectis vitæ ratio eadem eſſe debet, ac in febribus putridis in genere.

Cap. V.

Monita Practica.

§. 29.

1.) Quum peſtis morbus adeo velox, præcipitans atque periculoſus ſit, ſumme velox in applicandis remediis eſſe debet medicus in ſananda peſte. In principio morbi præſertim eum maxime activum eſſe oportet: horæ enim unius vel aliquot ſpatio plus negligitur, ac ſerius toto die vel etiam pluribus reſarciri medicamentis in peſtis decurſu poteſt.

2.) Stimulantia præſervative ſumta peſtem potius accerſunt, quam arcent. In quamplurimis ſubjectis præſertim ſanguineis et cholericis ſanis etiam inflammare ſanguinem, et inde alios

morbos, nempe varias inflammationes, hæmorrhoides ſymptomaticas, et in feminis catameniorum turbas, in aliis æſtate præprimis bilem incendere, adeoque peſtes complicatas cum bile excitare valent. Si unquam tamen ullus alexipharmacorum locus adhuc eſſe debeat, unicus eſſe poteſt in phlegmaticis ſeu frigidis perſonis, ſub aëre humido nebuloſo auctumnali ac hiberno ventriculo item cruditatibus onuſto et languenti.

3.) Quum adeo neceſſaria criſis in peſte ſit levis ſudor, omni opera promovendus ille eſt. Nocent vero tincturæ et eſſentiæ bezoardicæ, ſalia volatilia et olea ætherea ab omni ævo in hunc ſcopum laudata, quia non cuivis corporis conſtitutioni adaptata ſunt, et ſi quem ſervarunt, non ſuo auxilio, ſed ægri ipſius robore ſervarunt. Hinc in epidemia Coronenſi 1718 aperte fatetur Cel. *Albrich*, plures cum, quam ſine medicina eſſe mortuos. Exulenda igitur ſunt in peſte plurima alexipharmaca, nimio enim ſudore totum corpus plus inflammatur, natura turbatur, debilitatur, bilis incenditur, acuitur, bubones annotante *Sydenhamo a*) ſæpe retropelluntur cum conſequente morte. Et multi, præſertim calidioris temperamenti juvenes conficiuntur cum phre-

a) Sydenham l. c. p. 70.

nitide et petechiis. a) Nocet etiam opium tam ut remedium prophylacticum, quam curativum; opium enim inflammat et gangrænam promovet b); abundanter id exemplo probant Turcæ opii ſtudioſi.

4.) Cave buboni discutientia applicare, conducunt potius ſola emollientia. Emollitus is ſi non ſponte rumpat, potius inciſione aperiendus, quam corrodentibus, quia corrodentia ſæpe quid gangrænoſi effecere. Properandum vero cum inciſione bubonum eſt.

5.) Annonæ penuriæ, quantum licet, præveniendum eſt tempore peſtis; nam ex concurſu morborum ex fame natorum cum peſte non ſolum morbus periculoſior ſuccedit, verum etiam corpora humana ad ſuscipiendum miasma peſtilentiale proniora facit alimentorum defectus. Ideo non ſemper ad avertendam luem valebunt excubiæ et milites in limitibus agrorum poſiti, niſi cauſa ſanitatis publicæ pro avertenda lue magna

a) Chenot l. c. p. 96.

b) Tralles de uſu opii p. 156. Quid cuntra peſtem valeant ad promovendas et facilitandas criſes balnea tepida ex floribus chamomillæ ſimilibusque initio ſtatim morbi parata, nullus adhuc propoſuit loimographorum, quamvis multum levaminis eſſe ſperandum credo ab iis.

cum cura et sollicitudine ordinentur, quæ vera et genuina est morborum pestilentialium cautio et prophylaxis.

6.) Quia ex præcedentibus abunde patet, quod singularis corporis uniuscujusque individuorum singulorum, præsertim inter divites (quia etiam divites non semper bonos habent humores) dispositio aërisque crasis ex toto perspecta nobis semper non sit, miasma pestilentiale pariter diversis circumstantiis et modis diversum in inficienda et propaganda peste appareat, nec non incerti semper maneamus, an nonnunquam quædam ad nos ex Turcia adlatæ res, præsertim vestes infectæ aëre satis purificatæ, vel quia occultæ aut mercibus involutæ erant, vere contagiosæ existant: semper præcautio quædam ratione hominum vel rerum ex infectis locis ad nos advenientium præprimis temporibus urgentioribus pestilentialibus servanda erit: e contra reformidanda etiam nimis longa quarantæna.

Cap. VI.

De Propagatione Pestis in Bruta.

§. 30.

Ad finem operis vergens silentio præterire non possum quæstionem, an præter hominem

etiam alia animalia vera peſte corripi ut homo ab homine poſſint. Adfirmant idem auctores multi, ego nego experientia multiplici in epidemia Tranſylvanica 1786 edoctus. In noſocomio Zeydenſi per totam epidemiam peſtilentialem adfuit canis, felis, et gallina cum octo pullis. Canis felisque non ſolum in ægrotorum lectis ſub tegumentis illorum una cum ipſis ſæpius dormiverunt; non ſolum ciborum reſtantias ſemper comederunt: verum cani ſæpius etiam panis pure ex bubonibus obductus, caroque nigra ex carbunculis exſciſſis data eſt: porcique quotidie cataplasmata bubonibus applicata absque ulla ſanitatis noxa devorarunt. Roſonii felis omni absque damno comedit cataplasma ex millio cum lacte paratum, bubonique peſtiferæ mulieris applicatum, novitque chirurgus *Brun* ibidem canem, qui carnem ex carbunculo ſquaceloſam voraverat ſanusque ſemper manſerat. Nec abſimile analogiæ videtur hoc phænomenon. Equus enim nunquem corripitur lue bovina, alius enim mechanismus equi, alius bovis eſt. Eadem mihi videtur adeſſe ratio in contagio peſtilentiali in hominibus et brutis.